QUÆSTIO JURIDICA

de Casibus Fortuitis,

ex c. Propter sterilitatē. De Locat. & Conduct. junct. l. Quæ fortuitis. C. De Pignerat. Action. l. Fistulas. §. Frumenta. ff. De contrah. empt. l. Licet. C. De Loc. & Cōd. l. Ex Cōduct. l. Si uno. l. Si merces ff. Loc. l. Cū proponas. C. De nau. fæn.

DESUMPTA,

pro loco in Collegio CC. DD. Jure-Consultorum obtinendo

Permissu Magnifici Domini

RECTORIS

per

M. ANDREAM LIPIEWICZ, U. J. PROFESSOREM, Cōtubernii Jurisperitt. SENIOREM

publicè ad disputandum

PROPOSITA.

Annô

DEO oMnIa sCIente aC nIhIL Ignorante

c. Novit ille. 43. De Appell. Die 30. Mensis Junii.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

1755.

In Gentilitium Stemma
Perillustris & Reverendissimi Domini
PRÆPOSITI GENERALIS.



I.

Desere Stellatos bellax *Capricorne* Coluros:
Dignior Hic Stellas inter habere locum.

II.

Creditur ex *Asini* maxillâ lympha scatere:
Aris proq; Focis hoc *Caput* omne madet.

Perillustri
&
Reverēdissimo Domino
D. STANISLAO
de Podhaice
WOLSKI,

Utriusq; Juris in Universitate Crac: DOCTORI, PROTONOTARIO Apostolico, S. R. Mtis SECRETARIO, Ordinis S. Augustini Canonicorū Regulariū in Sassia per utramq; Poloniam, necnon Ecclesiarum, Parochialis S. Crucis, ac Hospitalis S. Spiritûs Cracov: PRÆPOSITO GENERALI,

Domino

Mecænati Faventissimo.

FOrtunæ adſcribo non caſui, dum præſentem de Caſibus fortuitis Quæſtionem Magno Tuo Nomini dedicandam duxi. Perilluſtris & Reverendiſsime Domine, Mecænas gratioſiſsime. Etenim ad arborem fructus, rivulus ad fontem redit, aliàs Quæſtio Juridica de Caſibus fortuitis ad Protonotariũ Apoſtolicum & Juris Utriusq; Doctorem, nuper in Univerſitate Noſtra Cracovienſi creatum. Sive enim virtutum Pantheon, ſive ſcientiarum Baſilicam penetrem, nil video, nisi in expolitis lapidibus natantes Gentilitiæ Gloriæ formas, Avitæ famæ & optimæ notæ lego characteres, atq; immortalitatis toreumate elaboratas deveneror lineas: ſcilicet cuncta Te optimum deprædicant, venerant urq; utpotè qui non minùs virtutibûs lucere, quàm ſcientiîs clarere didiciſti.

Gratiam

Gratiam habemus Okolscio, *quòd nobis Tuos Antecessores, Viros eximii meriti, optimos Patriæ Cives, Reipublicæ Consiliarios fideles, necnon strenuissimos pro Fide, Rege, & Lege Propugnatores commendaverit. Hos magnos ad Comitia Regni & Reges Legatos, illos æquissimos ad Tribunal Lycurgos, alios imperterritos ad Castra Camillos, alios Illustrissimos in Senatu Antistites adorabat & adorat Patria. Domus Tua, Domus hæc, cui nec clara Rhodos suô promontoriô, nec bimaris Corynthus suis mœnibus adæquari valent: in qua adstant virtutes, invigilant merita, gloriosæ permanent actiones. Uberrimus ab antiquo Domus Tua Phœnicum Heroum nidus, tot Senatorum, tot Pontificum fœcunda Mater: de his quid dicam, scribamve? Laudarem Catones, restarent Fabii: celebrarem Nervas, superessent Trajani: deprædicarem Decios, venirent ad elogia*

Alcia-

Alcibiades: tranarem primos Familiæ fontes, remaneret ultimus pro sepia scribendis laudibus designatus. Immensum est proferre ad paginam singulos, annorum forent revolvenda lustra, sæculorum recensendæ centuriæ, si Majorum Tuorum saltim à longè virtutes & merita adorare vellem.

Loquitur fama immortalis NICOLAUM *de* Podhaice WOLSKI, *quem* Bielscius *An.* 1514. *strenuum Sepulchri Domini Militem, invictũ cum Moschis Bellatorem, necnon ad* Leonem X. *Pontificem Maximum à* Sigismundo I. *meminit Legatum. Hunc teste* Paproccio *præclara in Republica merita, ad Castellanatum Sendomiriensem, Hoffmagistratum Reginæ* Bonæ, *Viscensem, Lomzensem, Sanocensem & Lanckoronensem* Capitaneatũ *evexére. Vir sanè consiliô magnus, ingeniô sublimis, prudentiâ edecumatus, manu dexter, judiciô profundus, animô adversis vinci, prosperis*

ſperis efferri inſolitó generoſus, Orbem virtutibûs, gloriam factîs ſuperavit.

Sufficeret certè unus hic Perilluſtris & Reverendiſsime Domine *ad Tui Sanguinis Decus, quod à calamo ſcribentis expectas, ut proponat ad ideam virtutis, zelô fidei, Patriæ bonô, meritorum compendiô admirandum: ni inciderem in Infulatum Caput,* NICOLAUM *de* Podhaice WOLSKI, Epiſcopum Culmenſem, *dein* Cujavienſẽ, *qui ex ſublimi Conſanguinitatis Arbore, nil præter umbram, ex alto eruditionis profundæ nil præter fundum, ex titulorũ luce nil præter nubem acceptavit. An verius loquar: aliter eminere noluit, nisi Angelica cordis ſinceritate, conculcatione faſtûs, poſtergatione pompæ ſæcularis, amore cultûs* DEI, *necnon accurata rerum temporalium adminiſtratione ſinè jactura ſpiritualium prælucendo, ut ſtuperes in uno Viro* Nicolao, *dilecto* DEO *& hominibus tàm innu-*

meras

meras virtutes concordi harmonia optimè subjectari.

Quantum majestatis accedit paginæ à Magnis WOLSCIIS. *in quorum augusti venerationem Nominis venit* STANISLAUS WOLSKI *Castellanus Brzezinensis, demum Sendomiriensis, Varsaviensis, Krzepicensis Capitaneus, qui Privilegium Unionis & Incorporationis Ducatuum Osuecimensis & Zatboriensis An:* 1564. *subscripsit. Hic meritis suis sat commendabilis, commendabiliorem nihilominus reddit* NICOLAUS WOLSKI, *Filius ejus; verè emedullata Virorum portio, omnem in se dicendi colligit hyblam, de quo quidquid scribitur magnum, quidquid cogitatur sublime, quidquid dicitur laudantium excedit nisum. Erat in Senatu consiliô potens, in expeditionibus bellicis promptior, in pietate fervens, in liberalitate heroica magnificus, quid mirum? Eum Imperatoribus Christianis* Maximiliano

&

& Rudolpho, *Regibus Poloniæ* Sigiſmundo Auguſto, Henrico, Stephano, Sigiſmundo III. *cordi adhæſiſſe. Quare Enſifer Regni & Krzepicenſis Capitaneus primùm; dein ex Mareſchalco Curiæ Supremus Regni Mareſchallus, Rapſtinenſis, Olſztynenſis, Inovlocenſis Capitaneus factus, expediuit Legationes ad SS. Dnum* Noſtrũ Clementẽ VIII. *ad Cæſarẽ Chriſtianorũ* Mathiam, *ad Magnũ Ducẽ Hetruriæ, adeò felici eventu:*

- - - - - - - Quo nec feliciùs altèr
Juſſa tulit Regum, nec ſuadâ melior
Extitit Orator. (usquam

Liberalitatem Ejus deprædicat Camaldulenſe *Monaſteriũ, cum perpetua & ampla proviſione ac templo in Monte Argenteo fundatũ, loquitur Monaſteriũ* Krzepicenſe *reſtauratum, nec unquam tacebit Monaſteriũ* Kłobucenſe, *largiori illius dextera fluvios ſuperante Iberos, proviſum. Vnus liberalis ultra exempla, ultra proventus profuſus, ultra pauperũ vota munificus.*

Accedit tantis Majorum Tuorũ splendoribus THEODORUS WOLSKI, primò Supremus Regni Mareschalcus, expost Castellanus Cracovien. & ADAMUS WOLSKI, Castellanus Lublinen: Illius doctrinam & eloquentiam audivit Senatus, salubria consilia in arduis æstimavit, præclaram morum vitæq; integritatem vidit & acceptavit Patria: Hujus magnitudinem excesiêre merita, etenim gloriâ Orbem, factîs immortalibûs implevit Patriam, ut singula vitæ Ejus actio distinctã æternitatem posceret.

Auget gloriã Nominis Tui JOANNES WOLSKI, Episcopus Posnanien: si quæritur probitas? virtutem cogita: si Religio? sanctimoniam: si merita amorem Patriæ: vix non tot præclarîs virtutibûs Ecclesiam, Senatũ, Patriã replevit, quot Cœlum sideribûs ardet. Non hic adhuc plenus Majorũ Tuorum numerus, venit ad syllabum Oratoriũ NICOLAUS de Podhaice WOLSKI, Thesau-

rarius

rarius Ravenſis, Parens Tuus digniſſimus. Nil tam ſublime natura instituit, quò virtus Ejus eniti non poſſet; cæterum mens ejus magnis cogitationibus intenta ſinè faſtu, dignitas Mareſchalcalis Palatinatûs Cracoviensîs ſinè ſævitia, faſces ſinè ſimulatione. Vix parem ſæcula dabunt, qualem Nobis Virum eripuêre fata, de cujus amore in Patriã, pro qua nec corpori, nec ſumptui parcebat, poſteritas non conticeſcet ventura.

Æſtimabit magnitudinem gloriæ Nominis Tui Orbis Polonus in STANISLAO WOLSKI, *Venatore Lencicien: Patruo Tuo, deſiderante Majorũ merita, actus, trophæa propriîs illuſtrare meritîs: necnon in* Capitaneo *Sobovicenſi, & Regente* *Cancellariæ Caſtri Lencicien: Patruelibus Tuis, quorum uterq́ in immortalibus faſtis per ſæcula longa*

Scribetur, totiq; diu narrabitur Orbi
Aure⁹, ad Lechicæ dec iñortale Coronæ.

Nec obmuteſcet unquam JOSEPHUM & LIBERATUM, *Priorẽ Conventûs*

ventûs Varsaviensis, Ordinis S. Augustini Dignissimum, secundum Fratrem Tuum Germanum, verè secundum, Virum Religione singularem, ingeniô præstantem, consiliô excellentem, moribûs candidum, qui velle perpetuum laudandi Deum, in cordibus Religiosorum accendit, virtutem obedientiæ, quæ aliàs cæca est visibilem & observabilem fecit, mutuam charitatem si non plantavit, certè radicavit, ipse Religiosæ vitæ vera imago & Prototypon.

Clauderes jam agmen Majorũ Tuorũ Perillustris & Reverendissime Domine, *sed concede quæso spatium calamo, stylum paulisper acuam ad elogia, ut & Materni Sanguinis proferat claritatẽ, & Orbis Lechæus magnam adhuc Genitoris Tui portionem gloriæ videat in Nepotibus. Meretur Mater Tua dilectissima officiosissimos Oratorũ plausus, quam maximæ quæquæ animi dotes, affabilis majestas, matura prudentia, innata bonitas, aliæq; innumeræ virtutes ad invi-*

diam sæculorum coronârunt. Ampliores dotes prætermitto Illius, sufficit quod sit magni Sanguinis Bilsciani *gutta, & Domus istius Decus, in qua, si iterum Dii habitarent in terris, nasci vellent. Maternam & Tuam gloriam adaugent* PETRONELLA, *Magnifici de Brzeźie* RVSSOCKI, *Vexilliferi Braclaviensis, &* IOANNA, *Magnifici* IOANNIS STAROWIEYSKI, *Subdapiferi Laticzoviensis, Consortes, Sorores Tuæ, quarum comitas morum æstimanda, majestas oris veneranda non atrâ sepiâ, verum Apellis penicillô digna.*

Solem palmò metiri vellem, si magna Domus Tuæ Nomina exiguam in hanc revocarem pagellam, nempe Russocciorũ, Starowieysciorum, Łodzinsciorum, Komorowsciorum, Lipsciorum, Prusciorũ, Bilsciorũ, Sierakowsciorum, Plichtarum, Kiełczewsciorũ, Bielinsciorũ, Remerorum, Gurzynsciorũ, Skrzetusciorũ, Walewsciorũ, Szczepkowsciorũ, Frezerorum, *aliorumve sexcentorũ, quorũ Nomina cogitationes Oratorũ excedunt, ac in Te clauduntur.*

Relucet in Te, quod in illis ſingulatim reſulſit, & cùm illud omne comprehendis illuſtre, Tuis adhuc ſplendoribûs auges, ut magnitudo Gloriæ Tuæ aliter proferri non valeat, niſi per inchoationem, ideſt verbò dici, colore pingi, ſcalprô effingi, cæterum quæ, quantave in ſe ſit, ipſius Divinitatis eſt interpretari. Mens Tua verè aurea, in minimas laminas duci facilis, non recuſabat ut exquiſitiſſimus fores, eademq́ʒ tam capaciſſima videri voluit, ut omnes Muſas comprehenderes: ut potè cùm virtus Tua non tam dierum, quàm meritorũ calculô malit grandæva videri. Et ut cæterarum virtutum irrefragabile jaceres fundamẽtum, eas fundâſti in charitate Dei, virtutum omnium Regina. Curas & amores totos ad Divinum illud colligis centrum, in quo dum non quieſcimus, inquietum eſſe cor noſtrum veriſſimè edixit Tuus AUGUSTINUS. *Quid mirum, quòd virtutibus his principalibus cæteræ quoq́ʒ ancillentur? quid mirum, quòd in Te appareat leonina fortis animi altitudo? quâ ardua audes, calcas mollia, erigeris ſuper omnia terrena, à ſpiritu mundi remotiſſimus, delectabile id tantùm ratus, quod honeſtum, quod utile, quod Deo placitum, quæ omnia Te perfectiſſimam vitæ Religioſæ probant Ideam. Quis Te non videt? ſinè pa-*

ritate exemplarissimum, sinè cerussa commendabilem, sine ostentatione celeberrimū, sinè fictione candidum, sinè assentatione rectum, authoritate gravem, affabilitate comē, ad amorem omniū, ad admirationem singulorum, ut & virtute qua luces, & doctrina qua illuminas, dici merearis optimus. Taceo alias scientias præclaram Tuam occupantes mentē, præterire non possum Jurisprudentiā, dum præter præcepta Juris, neminē lædere, honestè vivere, unicuiq; tribuere quod suum est, hac consultrice judicas Doctor Utriusq; Juris *de præteritis sedulò, examinas præsentia dexterrimè, disponis futura in omnem eventum providus.*

Tibi debet Ordo Sacerrimus, *quod in cordibus omniū Religiosam disciplinā stabilivisti, rigorosam statutorū observantiam restituisti, bonū ordinem, qui est anima rerum præscripsisti, exercitiū virtutum commendâsti, Ipseq; pro exercitio tuam mansuetudinē, pro regula Tuā exemplaritatem vitæ, pro norma vivendi tuorū comitatem morū dedisti, adeò ut Tuîs dispositionibûs & Paternîs adhortamentîs peroptimè stetur, & præscriptîs vivatur.*

Decora & virtutes non nullas explicui, sed ad majoremne Tuā gloriā, an ampliorē Tui Nominis pompā? dubium. Non aliter enim

hunc totū apparatum admittis, nisi ùt Concha rorem, quem transformet in unionē, Corona aut Orbis annulo inserendum. Non aliter acceptas, nisi ùt apes succum ex floribus, scilicet ut ex illis mella conficiant, Ceris illustrissimis accendendis. Quare narrarem fusiùs, qui honor ex Te PRÆPOSITO GENERALI *accesserit Religioni, ni silentium mihi imponeret innata Tua modestia, quæ graves Tibi reddit, quantumcunq; meritissimas laudes Tuas, probè conscia: sidera tunc solùm radiare, cùm in noctem abeunt, obtenebrescere verò, ubi superbum diei theatrum invadere volunt.*

Tacitè itaq; admirando venerabor dignitatē Tuā Perillustris Reverendissime Domine, PRÆPOSITE GENERALIS, *tot virtutū margaritis, tot scientiarum unionibus corruscantem. Interim meū votum perenne erit precari: ut publico Sacerrimi Ordinis bono diutissime abs quovis fatorum casu felix & incolumis vivas* PRÆPOSITUS GENERALIS, *donec placuerit Omnipotenti, quem coronavit in terris coronâ gloriæ, coronare in Cœlis coronâ Justitiæ.*

Ita vovet.

Author Operis.

Verti me ad aliud, & vidi ſub Sole, nec velociũ eſſe curſũ, nec fortiũ bella nec ſapientũ panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, ſed tempus, caſumq́; in omnibus. *Eccle. 9nô.*

Sæpe fortè temerè
Eveniunt, quæ non auſis ſperare.
Terent in Hecyr.

Quis fortunæ mutationes, quis dubios rerũ humanarũ caſus, ſatìs mirari queat? quis non adverſa præſentibus, contraria expectatis, aut ſperet, aut timeat? *Vellejus lib. 2. Hiſt. cap. 75.*

Præter ſpem multa Dii efficiunt,
Et ſpes multos ſua fruſtratur,
Contra explicat inſperata Deus.
Comment, Fab, Æſop.

Obſecro autem omnes qui- - - - lecturi ſunt, ne abhorreſcant propter adverſos caſus, ſed reputent ea, quæ acciduñt, non ad interitũ, ſed ad correptionem eſſe generis noſtri. *2. Mach. 6.*

QUÆSTIO JURIDICA
de Casibus Fortuitis.

UTrum Casus fortuiti, quatenus designant inopinatos rei eventus, ex facto naturæ vel facto hominis prodeuntes, in contractibus & transactionibus voluntate paciscentium specificè vel genericè expressi, Dominū potiùs quàm Possessorē rei peremptæ afficiant, & an ob supervenientiā eorundem Casuū fortuitorum, unius sive pluriū, debeant fieri necessariò remissiones in cōtractibus nec ne?

Conclusio I.

Casus fortuiti, quatenus designant inopinatos rei eventus, quotquot esse possunt, sive sinè culpa, sive cum culpa, omnes ex facto naturæ, vel facto hominis (*a*) procedunt.

Corollarium 1mum.

CAsus fortuiti, à fortuna, quæ rebus in humanis dominatur, dicti, cuivis etiam diligentissimo obtingentes, (*b*) & nullô hominum consiliô prævi-

(a) *l. Quæ fortuitis. C. De Pignerat. Action. l. Fistulas. §. Frumenta. ff De Contrahen l. emption. l. Contractus. in fin. ff. De Reg. Jur. l. Ex Conducto. §. Si vis tempestatis. ff. Locat. Conduct Althus lib 1. Dicæologiæ. cap. 1. de fact. involuntar. n. 29.*

(b) *l. Verum. §. Secundum. ff. De Minorib.*

deri posſibiles (*c*) alio nomine vis major, caſus improviſi, fatum, damnũ fatale, vis calamitoſa, vis Divina, fatalis & inevitabilis neceſsitas, fortuna, periculum appellati, (*d*) ſunt infortunium, quod neq́; conſiliô noſtrô præverti, neq́; viribûs averti poteſt. (*e*)

Vel ſunt accidens, quod per cuſtodiam, curam, diligentiamve mentis humanæ non poteſt evitari. (*f*)

Seu de quo quis veriſimiliter cogitare non poteſt. (*g*)

(c) *Card. Mant. de Conject. ultim. volunt. lib. 11. tit. 17. n. 3. Toloſſan. in Syntagm. Jur. Univ. lib. 21. cap. 12. n. 1. fol. 417.*

(d) *l. Ex Conducto. ff. Locat. Conduct. l. 52. §. Damna. ff. Pro Socio. Tulden. in Comment. ad 3. lib. Inſtit. cap. 6. Althus. loc. cit.*

(e) *l. Non utiq; §. 7. ff. de Adminiſtr. rer. ad Civit. pertinen.*

(f) *l. 2. §. Si ex tempore. ff. De Action. Empt. & Vend. Surdus cons. 339. n. 5. Sylvan. de Feudi recognit. q. 109. n. 40.*

(g) *Farinac. cons. 60. n. 117. v. & ubi delictũ.*

Seu ſunt inopinati rei eventus, qui ſinè culpa propria eveniunt, & prævideri nequeunt: (*a*) eveniuntq; innumerabiles & varii, adeoq; in jure non ſunt determinati, (*b*) & propterea ſuper iis ex arbitrio eſt judicare neceſſe; nam in quæſtionibus hujusmodi nec ſapiens conſulere, nec Judex quidquam certi definire poteſt. (*c*)

(a) *Seraphin. in tract. de Privileg. Privil. 106. n. 2. c. Joannes. de Homicid. & ibi Abb. qui in cap. unico de Commodato, agens de Caſibus fortuitis, inquit* = Si domus aliqua ruinā minatur, & poſtea cadens interficiat tibi equum commodatum, te non excuſari propter caſum fortuitum, quoniam diligentiſſimè prævidere potuiſſes. *Anton. Thom. Schiara Theologiæ Bellicæ lib. 7 pag. 166 n. 1. & 168. n. 32.*

(b) *l. fin. C. De temp. Appellat. & l. fin. C. De Præſcript. 30. Ann. l. Neq; leges. & l. Non poſſunt. ff. de Legib. Toloſſan. loc. cit. n. 3*

(c) *Decius in c. Paſtoralis. col. 2. n. 3. de Reſcript. & Seraphin. loc. cit. Privil. 106 n. 13.*

Corol-

Corollarium 2dum.

CAsuum fortuitorum alii sunt, *qui accidunt naturâ*: ùt maris tempestas, congelatio, grandinatio, fluminis impetus & mors, quæ ob id fatum dicitur. *Alii sunt, qui accidunt factô hominum*, ùt latronum insidiæ, hostiū incursus, vis etiam privata improvisa, Judicis injuria vel injusta sententia, falsa testium depositio, testamenti falsificatio. (*a*)

Item alii *sunt præter spem*, qui aliàs nullâ providentiâ humanâ prævideri possunt: ùt sunt terræ motus, fulminis tactus, irruptio hostilis ruptîs fœderibûs juramentô firmatîs &c. *Alii non præter spem*, qui sperati quidem sed sinè determinatione veniunt: ùt sunt mors naturalis, fames ex sterilitate, inundantia & ingruentia imbrium nimia, sterilitas ex non bene culto & seminato prædio &c.

(a) *Schardii in Lexic. Jurid. fol. 402.*

Item

Item alii sunt *qui veniunt ex culpa hominis:* ùt furtum, vel incendium intrinsecus ortum; *alii sinè culpa & remotissimi à culpa,* v.g. terræ motus, inundatio fluminis, incursus hostium vel latronum.

Alii deniq; casus dicuntur verè fortuiti, alii improvisi seu inopinati, & alii insoliti. *Casus ergo fortuiti* dicuntur illi: qui nullâ humanâ providentiâ possunt prævideri, & in quibus non accedit aliqua causa proveniens culpâ promitttentis. (*b*)

Iam verò Casus inopiāti seu improvisi, qui dicuntur esse idem (*c*) sunt illi: in quibus culpa præcedit, (*d*) per quam culpam optimè differunt à casi-

(b) *glos. in l. 1 ff. Ad Legem Corneliam. de Sicar. Tulden. in Commentar. ad lib. 3. Instit. Imper. cap. 6.*

(c) *Ripa in tract de Privil. contr. caus pest. n. 108. & Surdus cons. 445 n. 41.*

(d) *Ursillus in Annotat. ad decision. Matthæi de Afflictis decis. 150. n. 28.*

bus

bus fortuitis; (e) deinde per hoc, quòd delictum ex casibus improvisis vel inopinatis pœnam meretur, non item ex fortuitis. (f)

Tandem casus insoliti dicuntur illi: qui veniunt præter omnẽ verisimilitudinem & prudentis viri cogitationẽ, licèt quidem à prudentissimo cogitari possent. (g) Seu casus insoliti dicuntur illi, qui communiter accidere non solent, (h) seu qui opinione prudentis Viri non erant successuri, (i) & dicuntur casus fortuiti: quia rarissimè contingunt, ita ut in mille annis non eveniant nisì una vice; (k) vel qui centum an-

(e) *Ursill loc. cit. & Authores ap. Carpsov. Jurisprud. Consist. lib. 3 tit. 10 def. 123 n. 17.*

(f) *DD. ap Carpsov. loc. cit. n. 16 & 18.*

(g) *DD. ap. Barbos. de Appellation. v. Jur. Signific. appellat. 47. n. 8 & Rot. decis. 725. n. 11. p. 1 diversar.*

(h) *Alexander in Cons. 107. n. 19. vol. 3. Abb. cons. 1. n. 4.*

(i) *Surdus decis. 326. n. 54.*

(k) *Bartol in l. Scio §. Medio. ff. De Ann. Legat.*

nis

nis nisì ſemel accidunt. (*l*)

Qualis fuit terræ motus in Polonia Annô Domini 1034. ſub *Caſimiro*, ejusq; principio, quod ita rarum & inſolens eſt in Polonia, Regione Mediterranea, ut magni prodigii locò habeatur. (*m*)

Et Annô Domini 1200. ad 5tum Nonas Maii, terræ motus vehemens meridiano tempore excitatus, aliquôt diebûs conſequentibûs permulta ædificia in Polonia & vicinia ejus conquaſſavit. Quæ res inaudita propemodum in his Regionibus prodigii locò habita eſt.(*n*)

Et Annô Domini 1258. terræ motus vehemens Poloniam concuſsit, & animos hominum propter raritatem rei, non metu tantùm, verùm etiam religione implevit. (*o*)

(l) *Menoch. cons. 37. n. 14.*
(m) *Cromer. de Reb Polon. lib. 4 fol. m. 47.*
(n) *Idem loc. cit. fol. m. 121.*
(o) *Idem loc. fol. m. 159.*

Et

Et Annô Domini 1443. Nonîs Junii, magnus terræ motus, Ungariam, Bohemiam & Poloniam afflixit, quô multa ædificia & Arces quædam concussæ ac dejectæ sunt. (p)

Ac ideo casus insoliti, dicuntur inauditi: quòd valde rarò eveniant. (q) Et tales casus considerantur æpliciter: ımô modô, quando in genere potuerant prævideri, licèt non in specie: veluti pestis, sterilitas, bellum, & his similia. *Alterô modô*, quando nec in genere, nec in specie prævideri possunt: ùt quia in mille annis contingunt. Si tamen tales casus acciderint in 500. annis vel etiam in 100. annis, adhuc dicentur casus insoliti, secundö modö considerati, dummodò rarissimè contingant, veluti semel in vita hominis. (*r*)

(p) *Idem loc. cit. fol. m. 328.*
(q) *Surd. cons. 61. n. 68.*
(r) *Seraphin. tract. de Privileg. Juram. Privil. 160. n. 5.*

Verùm

Verùm decisio casuum valde insolitorum relinquitur arbitrio Judicum, ut ipsi collectîs & pensatîs omnibûs circumstantiîs declarent, vel non declarent casum esse valde insolitum (s)

Unde inter casus fortuitos & insolitos hæc est differentia: quia casus *fortuitus* dicitur ille, qui ùt plurimum solet contingere, sed providentiâ humanâ præcaveri non potest. *Insolitus* verò qui venit præter omnem verisimilitudinem & prudentis viri cogitationẽ, licèt fortè à prudentissimo cogitari poterat. (t)

Insolitorum autem casuum exempla haberi possunt. *imó.* dum induciîs violatîs hostis irruit in Regnum (u)

Prout accidit Annô 1459. quando violatîs à Crucigeris induciîs, ad Gne-

(s) *Ripa tract. de Peste. tit. de Privileg. Contract. n. 103. & Menoch. de Arbitr. Judic. casu 8. & seqq.*

(t) *Menoch. de Arbitr. casu 80. n. 7. Barbos. appellat. 42. fol. 163. n. 8.*

(u(*Menoch. cons. 27. n. 54. Surd. decis. 329.*

vum complures naves, frumentum & ligna atq; asseres è Polonia Gdanũ portantes ab hostibus interceptæ sunt (x) 2dò Quando Princeps non servat pactum & Conventionem. (y) Sicuti accidit Annô 1444. infausta illa & nusquam satis ab omnibus Christianis deplorata clades Genti Polonæ, quando *Vladislaus* Poloniæ, Ungariæq; Rex ruptîs pactîs cum Turca ad *Varnam* Missiæ Urbem, quam *Dionisiopolim* dixêre Veteres, collatîs signîs cum *Amurathe*, dum in Janicerorum phalangem invectus, strenui militis & Imperatoris officium expleret, hostium multitudine circumventus cum lectissimis Polonorum copiis occubuit. Occubuerant tunc cum eo *Julianus Cardinalis* qui ei ad rescindenda Pacta, jam aliàs juramentô cum Turcis obfirmata, Author fuit, & *Varadiensis* atq; *Agriensis Episcopi*, qui Cruce pro vexillo utentes,

(x) *Cromer de Reb. Polon. lib. 24. fol. m. 363.*
(y) *Surd. cons. 61. n. 68.*

voluntariorum militum numerum du xerant. Fertur inter pugnandum, *Amurathem*, depromptum è sinu codicem fœderis explicâsse, clamitâsseq; *Hæc sunt* JESU CHRISTE *fœdera, quæ tui Christiani mecum percussére, per Nomen tuum sanctè jurârunt, datamq́ sub Nomine tuo fidem violârunt perfidè Te suum* DEUM *abnegârunt. Nunc Christe, si* DEUS *es (ut ajunt, & nos hallucinamur) tuas, measq́ hîc injurias ulciscere, & his, qui Sanctum Nomen tuum nondum agnovére, violatæ fidei pœnas ostende.* (z)

3*tiò*. Si milites aliquem deprædarentur, qui habuit salvum conductum Regis: quia non licet, etiam contra hostem machinari, cui data est securitas, (*a*) & non debet decipi, qui de literis Principis confidit. (*b*)

(*z*) *Samuel Nakielski S. T. D. in Promptuario Antiquitatum fol. 478. & 479.*

(a) *l. Conventionum ff. De Pactis.*

(b) *l. Eos, qui veniam. C. De his qui veniam ætatis impetraverunt. Surd. cons. 61. n 67. & seqq.*

Hi

Hi igitur prærecenſiti, & alii quivis caſus inſoliti, de quibus credi non poteſt, contrahentes præſenſiſse, non includuntur in caſibus fortuitis. (*c*) Quia caſus fortuiti appellatione, ubi quis illum ſuſcipit, vel ei renuntiat, non veniunt inſoliti. (*d*) Unde Aſpaltor, ſive Conductor ſi renuntiaverit omnibus caſibus fortuitis, adhuc habebit locum caſus inſolitus. (*e*) Etenim caſum fortuitum in ſe recipiens, non cenſetur cogitâſſe de caſu inſolito: quia caſus fortuitus, qui communi opinione nunquam fuit viſus, non videtur fuiſſe in cogitatione, ideo à nemine præſtatur. (*f*)

(c) *Gonzal. in lib. 3. Decr tit. 15. de Cōmod.*
(d) *Rebello de Obligat. Juſtit. p 2. lib. 14. q. 8. n 18 Bened Ægid ad l. ex hoc Jure d. ff. de Juſt. & Jur. Barbos. loc cit*
(e) *Cardin. de Luca tract. de Regal. diſcur. 134. n 11. & diſc. 159. n. 19.*
(f) *l. Fiſtulas. §. Frumenta. ff. De Contrahend. emption. Gail. obſer. 52. lib. 2. Arnold. de Reyger in theſaur. Jur. fol. 435 n. 16.*

Corollarium 3tium.

QUamvis Casus fortuiti, tam qui factô naturæ quàm qui factô hominis eveniunt, innumerabiles sunt, (*a*) & non determinati à Jure, qui tamen ex legibus & Authoribus, tam Canonici quàm Civilis Juris erui potuêre, hi sunt.

Et quidem ex facto naturæ: Tempestas maris, tempestas àéris, qualis fuit Annô 1480. ingens in Polonia ventorum commotio, tonitrua & fulmina horribilia, ceciderunt lapides grandinosi æquantes magnitudinem ovi columbini, ex quorum percussione, passim inventa sunt cadavera anserum, leporum, & volucrum omnis generis. (*b*)

(a) *Tolossan. in Syntagm. Jur. Univ. lib. 21. cap. 12. n. 2. fol. 417. & l. penult. C. De Usufruct.*

(b) *Samuel Nakielski, S.T.D. in Pronptuario Antiquit. fol. 545.*

Item

Item Annô 1505. die 19. Maii tempestas horrenda circùm Cracoviam, coorta, tonitruîs perpetuò terribiliter crepitantibûs & corruscantibûs inter densas nubes fulguribûs grandinem instar ovi gallinacei demisit, quâ frondes arborum etiam crassiores decussæ, tectaq; domorum perfracta sunt, turris una Arcis fulmine percussa, tecti & muri parte abrupta, prodigii locò fuit. (c)

Item Annô 1510. Mense Julio Leopoli tanta surrexit tempestas, cum fulgure, tonitruis ac ingenti Cœli fragore, ut Cœlum & terra ruere videretur, & pars Urbis maxima disjectîs & confractîs tectîs deformata sit. (d)

Inter hos casus fortuitos, numeratur naufragium, fluminum impetus, tempestas grandinis seu grandinatio (qualis ex illatis exemplis liquet) nix insolita. Sic Annô 1334. die 23. Aprilîs ingens decidit nix, quæ cùm quinque dies

(c) *Cromer. de Reb. Polon. fol. 454.*

(d) *Bernard. Vapov. ap. Cromer. fol. 545.*

durâsset

durâsset, præter omnium expectationem eximiam fertilitatem agris attulit. (e)

Et Annô 1353. cùm Martius, Aprilis & Majus ultra medium verno ac pene æstivo calore ad calamos & aristas segetes perduxissent, nix duos cubitos alta terram operuit, & in sextum usq; diem duravit; quâ solutâ postea, cùm corruptas segetes omnes existimarent, tanta præter spem ubertas frugum, quanta vix unquam aliàs fuit. (*f*)

Et Annô 1454. sextâ Februarii, ob ingentem nivis copiam non tantùm feris sylvestribus pabula periêre, verùm etiam in *Podolia* plurimæ multorùm pagorũ domus præ pondere nivium corruêre. (*g*)

(e) *Cromer. de Reb. Polon. fol. 205. & M. Stanisl. Waryski in Ephemeride Historico-Polonica, pag. 55.*

(f) *Cromer. loc. cit. fol. 213.*

(g) *Dlugoss. sub An. 1454. fol. 126.*

Et

Et Annô 1459. inauditæ cecidêre nives, quarum causâ ſata hyberna perire debuerant. (*h*)

Et Annô 1566. die 12. Aprilis, nix portentoſa circa Lublinum erat. (*i*) Et Annô 1493. in Majo portentoſa iterum nix hyemabat. (*k*)

Tandem inter caſus hos fortuitos numeratur uredo, ideſt ventus urens, liguria, quæ ùt ventus urit, fervor Solis non conſuetus. Ita Annô 1330. æſtas adeò calida erat, ut ex nimio fervore Solis ultra ſolitum curſum in Polonia ſegetes in debitam maturitatem, ante Feſtum S. Joannis Baptiſtæ perductæ eſſent, & undîs deſiccatîs flumina ſuos alveos deſeruerint. (*l*)

Similiter Annô 1353. ùt ſuprà. Pariter Annô 1473. æſtu & ardore usq;

(h) *Idem ſub An. 1459. fol. 245.*
(i) *M. Stanisl. Waryſki, loc. cit. pag. 49.*
(k) *Idem loc. cit. pag. 2.*
(l) *Samuel Nakielſki, loc cit. fol. 256.*

adeò vexata est Polonia, ut alvei fluviorum plerorumq; arescerent. Vistula etiam apud *Thorunium* esset pediti vadabilis, sylvæ, saltusq; radicitus arderent, segetes, vernæ præsertim, squallerent, pecudes & jumenta, oblitîs humo cum herba vorato intestinîs, interirent. (*m*) Pariter Annô 1493. die 2. Januarii, portensa caliditas per totam Poloniam fuit, adeò, ut frutices gemmarent. (*n*)

Item inter casus hos fortuitos datur terræ motus, de quo supra *Coroll. 2do.* qualis etiam Annô 1310. die 16. Augusti in Prussia exortus est, ut homines pedibûs stare non possent. (*o*)

Item his casibus adnumeratur labes, casmositas, quando ruinositate fundus locatus perit: soli chasmata, idest hiatus terræ, dejectio arborum, turbines, vis ventorum. Sicut Annô 1431. in die *S. Iacobi Apostoli*, ventus validus grandine, coruscatione, fulgure, plu-

(m) *Idem loc. cit. fol. 533.*
(n) *M. Stanisl. Waryski, loc. cit. pag. 2.*
(o) *Idem loc. cit. pag. 124.*

viaq;

viaq́; permixtus duabûs & ampliùs horîs exercitum *Vladislai* Regis turbavit, plura tentoria dejecit & fregit, ac tres homines fulmine in tentoriis extincti sunt. (*p*) Et A. 1459. Dñicâ Lætare, ventus ingens per tres continuos dies duravit, qui robustissimas turres, domos & sylvas à fundamentis evertit. (*q*)

Item inter casus hos fortuitos numeratur àér corruptus, mortes animaliũ, mortes hominum ex àéris corruptione, vel ex influentia mala corporum Cœlestiũ ortæ, necnon pestis. Sic Annô 1221. pestis totô trienniô sæviebat. [*q*) Et Annô 1300. (*r*) Et Annô 1336. peste populari infestata est Polonia. (*s*)

Et Annô 1351. pestis ácerba, quam *Epidemiam* Græci vocant, quasi nos popularem dicamus, duobûs fere consequentibûs Annîs Poloniam omnem

(p) *Długoss. sub An. 1431. fol. m. 583.*
(q) *Idem sub An. 1459. fol. 243.*
(r) *Cromer. loc. cit. fol. 130.*
(s) *Idem loc. cit. fol. 218.*
(t) *Idem loc. cit. fol. 218.*

pervasit, tantâ vî grassatâ, ut pagi atq; oppida hominibûs vacua redderentur. Nec Poloniam solùm ea tunc vexavit, sed universum fere Orbem terrarum pervagata est. In Oriente domos, pagos & provincias in solitudinem redegit. Ab Oriente in cæteras Regiones eodem contagio grassata, Siciliam, Sardiniam, & Italiam, aliasq; vicinas Provincias occupavit. E Scythia in Græciam trasgressa, inde Illyricum emensa, Italiam pervasit, trienniôq; præcipuas exhausit vires, vix centesimo superstite relicto. Hinc Urbes & loca culta sic fuerant desolata, ut neq; arari neq; seri potuerint: quare fructibûs ubiq; excrescentibûs passim in sylvas & lucos omnia succreverant. Hæc pestis in Flandria vicinisq; Regionibus majorem in modum sæviit, ut quotidie in singulis pene oppidis sexageni septuageniq; efferrentur, quorum alii sexta die, alii tertia, plures secunda die, non nulli in ipso morbi adventu

extincti

extincti fuêre. Hanc funestam cladem descripsit quidam metrô sequentî:

Turbine ventorum fit magna ruina domorum,
Fabrica multarum confringitur Ecclesiarum,
Decidit & cuncti generis radicitus arbor,
Clade famis diræ plures cæpêre perire,
Sævit in miseros nimiumq́ quinque per annos.
Sexdenis solidîs emptus tritici corus unus.(u)

Et Annô 1360. per totam Poloniam ingens per sex Menses, tres Autumnales, & tres hybernos grassabatur pestis, adeò ut pagi vacui hominibûs fuerint, ac in ipsa Vrbe Cracovia 20000. fuerint mortua. (*x*) Et Annô 1382. (*y*) & Annô 1430. (*z*) dira pestis in omni fere grassabatur Polonia. Et Annô 1442. & 1449. pestis Majorem Poloniam invasit. (*a*) Et Annô 1446. in Terra Culmensi bacchabatur pestis, quâ *Casimirus* Dux Masoviæ correptus, discedendo *Crasnostaviâ Belzam*, mortuus

(u) *Samuel Naklelski loc. cit. fol. 274.*
(x) *M. Stanisl. Waryski loc. cit. pag. 199.*
(y) *Cromer. loc. cit. fol. 235.*
(z) *Idem loc. cit. fol. 301.*
(a) *Idem loc. cit. fol. 310. & 341.*

est. (*a*) Et Annô 1424. pestis Poloniam & Lithuaniam omnem pervagata est, ita ut Rex *Vladislaus Iagello* cum Regina & *Vitoudo* in sylvis degere cogeretur. (*b*) Et Annô 1451. 1452. fere per totam Poloniam sæviebat pestis, extinctîs plurimîs Proceribus & populîs (*c*)

Et Annô 1457 (*d*) Et Annô 1462. (*e*) Et Annô 1466. (*f*) Et Annô 1467. Poloniam Russiam & Masoviam, necnon Silesiam, (*g*) pestis popularis, partim ex contactu unius chlamidis illati ex Livonia, hac lue infecta, partim ex inordinato calore hyemis, partim ex confinitate cum Hungaria protunc peste laborante pervasit, & plurimos mortales absumpsit.

(a) *Dlugoss. sub An. 1446. fol. m. 21.*
(b) *Samuel Naktelski loc. cit. fol. 417.*
(c) *Dlugoss, sub An. 1451. & 1452 fol. m. 79. 95. & 96. & Cromer. loc. cit. fol. 344.*
(d) *Cromer. loc. cit. fol. 358.*
(e) *Dlugoss. sub An. 1462. fol. m. 290. 339. & 340.*
(f) *Dlugoss. sub An. 1466. fol. m. 379. & 398.*
(g) *Cromer. loc. cit. fol. 397. Dlugoss. lib. 13. fol. 419.*

Et

Et Annô 1482. (*h*) Et Annô 1492. (*i*) dira lues & peſtis pecudum atq; pecorum Poloniam clade infecit. Et Annô 1496. peſtis ex Sileſia & Hungaria proſerpens Cracoviam & Minorem Poloniam invaſit, quæ dum hyeme, quæ fuit aſperrima, conquieviſſet, æſtate ſequenti majorem in modum recruduit, & ad hyemem usq; longè, latèq; graſſabatur. (*k*) Et Annô 1652. magna per totam Poloniam graſſabatur peſtis, adeò ut in ipſa Urbe Cracovia 36000. hominum ſint mortua, etiam qui ſepelirent defuerint. (*l*)

Item inter caſus hos fortuitos, recenſentur incurſus graculorum, ſturnorum, bruchorum, locuſtarum. Utì Annô 1335. tanta vis locuſtarum Poloniã pervagata eſt, ut volantes Solis aſpectũ

(h) *Cromer. loc. cit. fol. 431.*
(i) *Idem loc. cit. fol. 437.*
(k) *Samuel Nakielſki loc. cit. fol. 563.*
(l) *Kochowſki Climact. 1. lib. 5. & M. Stan. Warſki loc. cit. pag. 131.*

homi-

hominibus adimerent, humi verò ſtratæ equorum ungulas altitudine ſuperarent, quæ depaſtæ matureſcentes ſegetes, anguſtiorem annonam fecêre. (*m*)

Et Annô 1343. magna vis locuſtarū ex Hungaria coorta, ingentes Tartarorum copias in Ruſsiam & Poloniam anteivit. (*n*) Et Annô 1475. Siradienſem & Lancicienſem oram atq; Maſoviam locuſtarum vis ingens ex Hungaria, Moravia & Sileſia adveniens, pervagata, non modò ſegetes atq; prata, verùm etiam arborum frondes depaſta eſt. Longitudo congregationis earum ad tria milliaria, latitudo ad milliare unum cum medio extendebatur. Si in ſylvas declinabant, arbores ſatìs robuſtæ mole earum preſſæ in terram retorquebantur; volabant verò adinſtar bellantium. (*o*)

Aliquando etiam colluvies murium eſt caſus fortuitus: qualis fuit An. 1468.

(m) *Cromer. loc. cit. fol.* 205.

(n) *Idem loc. cit. fol.* 209.

(o) *Dlugoſſ. lib* 13. *fol.* 535.

ingens

ingens multitudo murium, ex intempestivo calore & ſiccitate coorta, qui horrea depaſti, cùm ſe in agros effudiſſent, ſegetes quoq; hybernas vireſcentes radicitus arroſerunt. (p)

Item inter hos caſus fortuitos habetur ingruentia imbrium, qualis fuit Annô 1221. quô denſi atq; continentes per totam æſtatem imbres ingenti aquarum inundatione vehementer Poloniam afflixêre, plurimos pagos atq; vicos evertêre, abripuêre, ſegetes hybernas vaſtavêre, vernam ſementem fieri paſsi non ſunt. (q)

Et Annô 1223. à Feſto Paſchæ usq; ad autumnum continui imbres fluxerunt. (r) Et Annô 1253. ex perpetuis imbribus ab Aprili Menſe usq; ad 25. Julii delapſis tota fere inundavit Polonia, ita: ut cāpi, agri, ſylvæq; navigabiles eſſent. (s)

(p) *Samuel Nakielſki loc. cit. fol. 527.*
(q) *Cromer. loc. cit. fol. 155.*
(r) *Samuel Nakielſki loc. cit fol. 139.*
(s) *Idem loc. cit. fol. 172. & Cromer. loc. cit. fol. 155.*

Et

Et Annô 1270. à 20 Junii usq; prope medium Augusti, die noctuq; pluit, inde fluvii aquîs aucti adeò exuberaverunt, ut agros, prata, segetes, & bassarum villarum fastigia operirent. Insuper Istula plures domos, pecora, reptilia, molendina absorpsit, & agris exterminium, sterilitatemq; indixit. (*t*)

Et Annô 1351. à die Natalitio *Joannis Baptistæ* ad diem *Christi* natalitiũ in Oriente immoderata pluviarum copia è Cœlo continuò dimittebatur. (*u*) Et Annô 1451. præsente Rege *Casimiro* Sandomiriæ in Julio continuò die noctuq; dies 15. pluit, ex qua imbrium ingruentia tanta fluminum inundatio facta, ut totas villas in vallibus locatas absorberet. (*x*)

Item inter hos casus fortuitos numeratur eluvio, & aquarũ inundatio.

(t) *Samuel Nakielski loc. cit. fol. 199.*
(u) *Idem loc. cit. fol. 254.*
(x) *Dlugoss. sub An. 1451. fol. 71.*

Qua-

Qualis fuit Annô 1118. ex perpetuis anni hujus imbribus ingens aquarum vis atq; inundatio, quæ neq; seri, neq; meti agros passa est. (*y*) Et Annô 1457. exundatio Vistulæ tanta fuit, ut hominum memoriam excederet, quam ob causam Rex *Casimirus* Comitia Petricoviæ celebrata retardavit. (z) Et Annô 1459. aquarum inundatio duos menses durabat. (*a*) Et Annô 1468. maxima fuit fluviorum exundatio, ita ut multa animalia & segetes absumeret, & Oppidum *Stradomia* cum Ecclesiis & domibus inundaret. (*b*)

Et Annô 1475. ex ingenti imbrium circa Festum *S. Iacobi* Mense Julio decidentium impulsu, tam horrenda Vistulæ inundatio effecta est, ut *Casimiria* & *Stradomia* aquâ operiretur & ad Altaria templorum pertingeret. Pon-

(y) *Cromer: loc. cit. fol. 274.*
(z) *Dlugoss. sub An. 1457. fol. 201.*
(a) *Dlugoss. sub An. 1459. fol. m. 243.*
(b) *Idem sub An. 1468. fol. m. 432.*

tem

tem quo *Casimiria Cracoviæ* jungitur abrumperet, magnamq; calamitatem hortis & pomariis inveheret. (*c*)

Et Annô 1495. Vistula supra modum æstate media inundavit. (*d*) Et Annô 1593. die 5tâ Julii, tanta fuit aquarum inundatio, ut usq; ad Templum *Corporis Christi* ad Gracoviam Casimiriæ pertingeret. (*e*)

Item inter hos casus fortuitos recensentur ruina, fulmina & tonitrua. Sic Annô 1448. Ecclesiam Collegiatam Sandomiriensem fulmen mirum in modum percussit. (*f*) Et Annô 1455. tota æstate plurimis in locis horrenda fulgura & tonitrua bacchabantur. (*g*)

Et Annô 1476. die 30. Julii, horâ 12. fulmen cum terribili sonitu è Cœlo veniens, sub elevationem in Missa Ma-

(c) *Samuel Nakielski loc. cit. fol. 535.*
(d) *Idem loc. cit. fol. 563.*
(e) *M. Stanisl. Waryski loc. cit. pag. 96.*
(f) *Dlugoss. sub An 1448. lib. 13. fol. m 42*
(g) *Idem sub An 1455. fol. m. 172.*

jori

jori cantantibûs Fratribûs: *Benedictus qui venit*, Templi *S. Francisci* pinnaculum permodùm turrîs percusſit & incendit, ita ut totum tectum ejusdem Templi exureretur, *Crucifixum* in medio Chori pendentem ſcidit, lapides ſiniſtri parietis obtruncavit, & unum Religioſum occidit, aliquotq; homines ſuo aſtlatu læſit. (*h*)

Et Annô 1505. die 19. Maii, fere per totam Poloniam, Annô 1571. die 9. & 29. Januarii, ſuper *Cracoviam* portentosè tonabat & fulgurabat. (*i*) Et Annô 1657. die 28. Martii, *Racocius Tranſylvaniæ Princeps*, dum pompaticè *Cracoviam* ingredi conabatur, fulmine feritur in campo medio *Strzelnica* dicto, armigerum ejus proſtravit & exanimavit, ipſe verò *Racocius* ex afflatu obſurdeſcens dum è curru in terram

(h) *Miechovien. lib. 4. fol. 341.*
(i) *M. Stanisl. Waryſki loc. cit. pag. 4. 13. & 70.*

proſi-

prosiliit, adeò violenter ad terram allisus & concussus fuit, ut pollicem dexteræ manus luxaret. (*k*)

Item inter hos casus fortuitos recensentur acria frigora; Sic Annô 974. acris & nivosa hyems à principio Novembris usq; ad æquinoctium vernum durabat. (*l*) Et Annô 1336. hyems tam fuit aspera & nivosa, ut feras quoq; bestias in sylvis, & volucres extingueret (*m*) Et Annô 1440. asperrima frigora fuêre, ob magnam vim nivium ante medium Novembris delapsam, & usq; ad medium Aprilem durantem, unde pecudes & jumenta vetustîs tuguriorum stramentîs detractîs ægrè sustentata, pasim morbos contraxerant. (*n*)

Et Annô 1499. sub finem 9bris cùm 70000. Turcarum per *Valachiã* & *Russiam* iterum sese effuderunt, omnẽq;

(k) *Kochov. Climact. 8. lib. 3.*
(l) *Cromer. loc. cit. fol. 33.*
(m) *Idem loc. cit. fol. 218.*
(n) *SamuelNakielski loc. cit. fol. 469.*

oram

oram, quæ ad *Neſtrum* & circùm *Haliciam*, *Zydacoviam*, *Drochoviciam* & *Samboriam* eſt, ferrô & ignî vaſtantes, & prædas agentes; neq; progrediendi & vaſtandi modum ullum barbari feciſſent, nisì cœlitus DEO miſerante populum ſuum, repreſsi atq; adeò oppreſsi eſſent. Derepente enim intenſum frigus & gelu extitit, & nix tanta decidit, ut circumſepti undiq; Turcæ, neq; progredi, neq; regredi poſſent: ita ut jumentîs plerîsq; omnibûs frigore & fame conſumptîs, hominum quoq; ſupra 40000. alſiſſe memorantur, multiq; reperti poſtea, qui interfectîs equîs in ventres eorum exenteratos calentes etiam tum ſeſe illatebraverunt, ſed nullô operæ pretiô: & vix 10000. *Iſtrô* transmiſsô evasêre. (o)

Item inter hos caſus fortuitos memoratur incendium. Sicut Annô 1124. *Cracovia* penitus conflagravit, incer-

(o) *Idem loc. cit. fol. 565.*

tum

tum: fortuitône incendiô, à Bohemis ſubordinatô? propter ſuſceptum *Sobeslaum* exulem. (*p*)

Et Annô 1240. Tartari in *Cracoviam* Caput Poloniæ contenderunt, & cùm eam vacuam defenſoribûs reperiſſent, flammîs in tecta ſævierunt. (*q*) Et Annô 1258. *Sandomiria* Urbs, annô verò 1259. *Arx* ejus & *Cracovia* per Tartaros conflagrârunt. (*r*)

Et Annô 1306. die 8. Maii, *Cracovia* & *Arx* cum damno ingenti arsêre. (*s*) Et Annô 1440. magna pars *Cracoviæ* gemino incendiô conflagravit. (*t*) Et Annô 1447. *Lublinum*, *Bochnia*, *Xiaz*, *Siradia* caſu fortuito arsêre. Jam verò Monaſterium *Claræ Tumbæ* igne de balneis irrepto funditus demolitum eſt. (*u*)

(p) *Cromer. loc. cit. fol. 87.*
(q) *Idem loc. cit. fol. 144.*
(r) *Idem loc. cit. fol. 160.*
(s) *M. Stanisl. Waryſki loc. cit. pag. 65.*
(t) *Samuel Nakielſki loc. fol. 469.*
(u) *Dlugoſs. ſub An. 1447. fol. 26. & 32.*

Et Annô 1454. *Cracoviæ* plusquàm 100. domus in Arcensi & Canonicorū plateis fortuitô incendiô deflagrârunt. (x) Et Annô 1462. *Cracovia* horrendo incendiô arsit: ita ut dimidia fere pars Urbis ad meridiem & occidentem vergens absumpta fuerit, 200000. florenorum protunc instauranda. (y)

Eodē Annô *Lancicia* cum arce conflagravit. (z) Et An. 1465. die 7. Aprilîs *Stradomia* tota exceptîs templîs ac Cœnobiîs PP. Bernardinorum conflagravit. Sub hoc tempus *Clodava*, *Vartha* in Majori Polonia arsêre. Paulòpost ad 5. Calend: Majas non exigua pars *Cracoviæ* cum Æde *D. Francisci* memoriæ sacra parî incendiô absumpta fuit. (a)

Et Annô 1473. incendia Urbium, Oppidorum & Villarum crebra extitêre, quo tempore *Stradomia* ad 26tam

(x) *Cromer. loc. cit. fol. 354.*
(y) *Samuel Nakielski loc. cit. fol. 518.*
(z) *Dlugoss. sub An. 1462. fol. 290.*
(a) *Samuel Nakielski loc. cit. fol. 526.*

diem Julii cum Ecclesiis S. Hedvigis & PP. Bernardinorum rursus conflagravit: postridie verò coortô in cœnobio Virginum apud *S. Andream* incendiô, tota ea platea, quæ *Arcensis* dicitur & proxima Canonicorum arsit. Conflagrârunt etiam *Velisca*, *Coninum*, *Belzum*, *Chelma*, *Lubomilia*, *Basilica Lancicienses* cum vicinis domibus, & *Monasterium Mogilnense*. (*b*)

Et Annô 1475. Pridie Calendas Aprilîs 100. domus *Cracoviæ* inter *Novam* & *S. Nicolai* Portas nocturnô incendio arserunt. (*c*) Et Annô 1492. pars Vrbis ad Occidentem vergens cum ea Domo Academiæ, quam *Collegium Majus* vocant, fortuitô incendiô conflagravit. (*d*) Et Annô 1494. die 29 Junii atrox incendium, ad eam Portam quæ *Nova* appellatur post occasum Solis grassatum maximam

(b) *Cromer. loc. cit. fol. 412. & Samuel Nakielski loc. cit. fol. 533.*

(c) *Cromer loc. cit. fol. 420.*

(d) *Idem loc. cit. fol. 437.*

Urbis

Urbis partem, quæ ad Septemtrionem & Occidentem vergit, ideſt ad *Portam Proſcriptorum*, cum tectis turrium & mœnium atq; Templis abſumpſit.(*e*)

Et Annô 1504. *Caſimiria* à meridie ad veſperas ſpectante id Rege *Alexandro* ardebat, (*f*) & penitus cum turribus & pinnis mœnium conflagravit. (*g*) Et Annô 1509. die 22. Martii, iterum *Stradomia* tota igne abſumpta eſt, præter Templa D. Hedvigis & PP. Bernardinorum. (*h*) Et Annô 1523. incendium Cracoviæ eſt conflatum, & 50. circiter domus ignîs violentiâ conflagrârunt. (*i*) Et Annô 1528. die 9. Maii Cracovia à *Porta Nova* usq; ad Ædes *D. Stephani* incendiô vaſtatâ fuit, inde verò flamma extra mœnia vehementî ventô delata, *Clepardiam*

(e) *M. Stanisl. Waryſki loc. cit. pag. 90.*
(f) *Idem loc. cit. An. pag. 129.*
(g) *Samuel Nakielſki loc. cit. fol. 573.*
(h) *Idem loc. cit. fol. 579.*
(i) *Bernard. Vapov. ap. Cromer. fol. 586.*

exuſsit. Eö incendiô 100. circiter Regia tormenta, quæ inter muros aſſervabantur, liquefacta feruntur. Eadem tempeſtate feriâ 2dâ *Rogationum* circa horam 19. Prætorium Civitatis Caſimirienſis exuſtum & conflagratum eſt; quo tempore Acta Scabinalia à ſeptem annis incepta cum omnibus Actionibus, Reſignationibus & Cauſis notatis igne abſumpta ſunt. (*k*) Et Annô 1536. ad Calendas Novembris duæ partes Arcis Cracovienſis non ita pridem magnificè exædificatæ, magno cum omnium dolore exuſtæ ſunt. (*l*) Et Annô 1554. Fodina Sarmaticorum Mineralium *Ilcuſſium* funditus conflagravit die 18. Maii. Et Annô 1574. die 7. Maii. *Lublinum* cum multis hominibus arſit. (*m*) Et Annô 1625. die 16. Auguſti, *Jaroſtavia* tempore Nundinarũ cum omnibus conflagravit mer-

(k) *Samuel Nakielſki loc. cit. fol. 616.*
(l) *Idem loc. cit. fol. 625.*
(m) *M. Stanisl. Waryſki loc. cit. pag. 62. & 70.*

cimoniis

cimoniis, damnumquè taxatum est 10000000. (*n*) Et Annô 1678. die 13. Junii Cracoviæ Platea *S. Floriani* arsit. (*o*) Et Annô 1702. die 15. Septembris, Arx Cracoviensis per hostilitatem Sueticam exusta est, illæsa Ecclesia manente, in cujus memoriam hac die Peraugustum *Capitulum Cracoviense* reddit D. T. O. M. solennem quotannis gratiarum actionem. (*p*)

Item inter casus fortuitos numeratur vis major, quæ consiliô humanô neq; prævideri, neq; vitari potest. (*q*) Et est animadversio Dei in homines, cujus evitandæ ipse facultatem ademit, veluti fulgura, grandines. Duo enim sunt Cœlestis injuriæ genera: unũ quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteraq; similia intelliguntur, quæ cùm acciderint,

(n) *Idem loc. cit. pag. 124.*
(o) *Idem loc. cit. pag. 82*
(p) *Acta Capituli Eccl. Cath. Cracov.*
(q) *Cajus l. 25. ff. Locat.*

vis

vis major appellatur. Hæc ab horridis Syderibus exeunt, veluti Arcturo, Orione, Hædis. Alia ſunt illa quæ ſilente Cœlo, ſereniſq; noctibûs fiunt, nullo ſentiente, nisì cùm facta ſunt. Publica hæc & magnæ differentiæ à prioribus, aliis rubiginem, aliis uredinem, aliis carbunculum appellantibus, omnibus verò ſterilitatem. Nam ubi ſedulò colitur ager, plerumq; compendium, nunquam detrimentum affert, nisì Cœli vis major, aut prædonis inceſsit. Appellatur etiam vis magna, vis Divina, quæ admirabili quadam DEI potentiâ infertur: ut ſi ex ædibus ventô tegulæ dejiciantur, non ædificii vitio adſcribendum eſt: quod enim tam firmum ædificium eſt, ut fluminis, aut maris, aut tempeſtatis, aut ruinæ, aut incendii, aut terræ motûs vim ſuſtinere poſsit. (*r*)

(r) *l. 24. §. 3. ff. De Damno infecto. & Schardii in Lexic. Jurid. fol. 1019.*

Item

Item inter hos casus fortuitos habetur sterilitas, & caristia immodica. (s) Qualis sterilitas erat Annô 1312. quando fames omni bellô atrocior Regiones Poloniæ & Bohemiæ invasit, & dietim augmentata tribûs annîs duravit, & plures mortales absumpsit Parentes filios, & filii Parentes pro excludenda fame occiderunt. Nonnulli cadavera in patibulum actorum rapuerunt, ut rugientem implerent ventrem. (t) Jam verò Annô 1438. in Regno Poloniæ & partibus vicinis magna caristia frugum fuerat, una enim mensura vulgò *miárká* siliginis

(s) *l. Ex conducto. §. Si vis tempestatis. ff. Locat. l. Licet. C. De Locat. & Cond. & gloss ibi. v. Lue. l. Quæ fortuitis C. De Pigneratitia Action. l. Fistulas §. Frumenta. ff. De Contrahen. empt. c. Propter sterilitatem. De Locat. l. Contractus. ff. de Reg. Jur. Urceolus in Centur. decis. 53. n. 13. Althus. lib. 1. Dicæologiæ cap. 11. de facto involunrario n. 29.*

(t) *Samuel Nakielski loc. cit. fol. 242.*

unô

uno floreno pendebatur: florenus verò unus illius temporis ad præsens ad florenos 20. fere extenditur. (*u*) Similiter An. 1630. tanta caristia erat, ut Cracoviæ una mensura vulgò *Cwiertnia* siliginis flor. 64. unum dolium Cerevisiæ florenîs 28. una libra panis siliginei gro. 6. semimensura aliàs *pulkorcá* milii, flor. 16. & pisi florenîs 12. penderetur. Florenus verò Anni 1620. ad præsens valet florenos 4. gr. 15. (*x*)

Ex facto autem hominis, casus fortuiti sunt: incursus hostium. Sic Anno 1259. incursum Tartari in Poloniam fecerunt, & vastantes Urbes, Oppida & pagos, pervenerunt Sandomiriam, ubi testante *Cromero lib. 9. de Reb. Polon. fol.* 160. tanta cædes in Arce Sandomiriensi tunc facta esse dicitur, ut sanguis cæsorum ad Vistulam usq; deflueret. Et Anno 1241. Tartari irrupêre in Poloniam

(u) *Miechov. lib. 4. fol. 308.*

(x) *Manuscript. Civit. Cracov. & ex Libello Reductionis Antiquæ monetæ, sub tit.* Summaryusz umiárkowánia Monety stárey z dźiśieyszą.

&

& magnam cladem in Polonia fecerunt, dum tanta multitudo cæſorum fuit, ut unam aurem tantùm ab uno capite abſcidentes, novem ſaccos magnos auribûs impleverint. Duces verò Tartarorum arcanô DEI judiciô unus *Pęto* & alter *Káydány* vocabantur. Et Annô 1324. *Gartin* Lithuanus Pułtovienſem oram Maſoviæ vaſtabat, ubi 130. pagîs, & 30. Templîs exuſtîs, 4000. captivorum abduxit. Et Annô 1331. Crucigeri Cujavienſes ditiones, 14. diebûs vaſtantes, cum ſpoliis in Pruſsiam rediêre. Et Annô 1498. *Stephanus* Palatinus Valachiæ cum Tartaris Ruſsiã populabundus à *Kanczuga* Oppido usq; ad *Vistokam* fluvium omnes pagos & Oppida ubi devaſtâſſet, *Premyslıã*, *Radymno*, *Przeworſko*; *Łancut* &c. excuſsit. Hac vice 100000. captivorum Tartari abduxêre, & captivîs Tartariam Thraciam, Græciam, Macedoniam, Aſiam impleverant, pecorumq; innumerabilem multitudinẽ

abegêre

abegêre, occiſorum innumerabilia millia erant per vias, præcipuè ſenum & parvulorum. (y) Et Annô 1052. Tartari Tauricani cùm Podoliam, Ruſsiã & Sandomirienſem tractum populabundi pervagati, *Roſſoviam*, *Jaroslaviam*, *Radymnum*, *Belzum*, transmiſsâ Viſtulâ *Opatoviam*, *Lagoviam*, & *Cunovum* Oppida diripuiſſent, ad *Paczanoviam* usq; pervenêre; inde poſtea revocato gradu onuſti prædâ omnis generis, ferrô ignîq; in obvia quæquè, quæ abigere vel aſportare commodè non poterant, crudeliter debacchati, in tutum ſe cumpræda recepêre. (z) Et Annô 1562. *Ioannes Baſilides* Moſchus, incurſum in Poloniam fecit, & 80000. captivorum duxit. Et Annô 1575. Tartari *Ruſſiam* & *Podoliam* vaſtabant, coram quibus ipſa animalia ſylvîs fugiebant. Unde irruentes in

(y) *M. Stanisl. Waryſki loc. cit. pag. 48. 58. & 189.* tari

(z) *Samuel Nakielſki loc. cit. fol. 570.*

Polo-

Poloniam 55000. hominum abduxêre, exceptîs parvulîs & ſenibûs, quos trucidârunt: equorum 150000. exceptîs jumentîs, ovibûs, & aliîs innumerîs auri argentiq; copiîs. Et Annô 1576. in Podolia & Volchynia 100000. Turcarum populabantur. Et Annô 1675. 80000. Tartarorum totidemq; Turcarum, Podoliam populabundi intravêre, *Mikulinice*, *Podhaice*, *Tarnopole* &c. ſolo æquavêre, captivorum 200000. abduxère. *(a)*

Item inter hos caſus fortuitos numerantur inſidiæ prædonum, rapinæ, incendia ab aliis immiſſa (quorũ exempla ſuprà habentur) tumultus; qualis excitatus fuit Cracoviæ Annô 1461. die 17. Julii, quando *Tencinius* ex Templo *S. Franciſci* extractus tumultuosè à Civibus occiſus fuit, & in opprobrium binos dies jacuit ſub Prætorio. *(b)*

(a) *M. Staniſl. Waryſki loc. cit. pag. 23. 135. 142. & 169.*

(b) *Idem loc. cit. pag. 105.*

Item

Item bellum, furtum, impetus hominum piratarum: quales *Ioannes Strassus Bialaciovius* in ergastulo conclusos, circumjectâ paleâ & aridâ materiâ succendit circa Annum 1432. (*c*)

Item mors ab alio causata, quemadmodùm Annô 1306. die 3. Augústi, *Venceslaus* Bohemiæ Rex, volens fieri simul & Poloniæ, tendens Cracoviam Ołomucii à suis dolosè occisus est. Et Annô 1340. die 25. Martii, *Boleslaus* Filius *Treudenis*, Ducis Masoviæ, per successionem Dux Russiæ, à suis militibus venenô dolosè suffocatus est. (*d*) Et eo die, quo *Foxius* Mathematicus, prædixerat *Regem Sigismundum Augustum* periturum, cùm Regiomonti magno tormentorũ reboatu salutaretur, pila emissa fere tetigerat Regem, ut quæ fortuita solùm equi declinatione prætervolans, ponè sequenti *Visniovieccio* caput abstulit.

(c) *Cromer. loc. cit. fol. 309.*

(d) *M. Stanisl. Waryski loc. cit. pag. 38. & 115.*

Simi-

Similiter Annô 1370. *Casimirus M.* cùm die festo disuadentibûs suis venatum abjisset, & Cervum insectaretur, equus cum impetu lapsus est, ut carnosum Regis corpus conquassatum & mors subsecuta fuerit. (*e*)

Item vis privata: prout ecce *Sigismundus III.* Rex Poloniæ à Piekarscio *Nadźiako* percussus erat. (*f*) Et similia omnia inter prædictos casus fortuitos comprehenduntur. (*g*) His annumerantur detectio delicti, de quo verisimiliter in loco suspicari nemo poterat. (*h*) Item incursus Latronum,

(e) *Nicolaus de Chwalkowo Chwalkowski in singularib. quibusd. Polon. pag. 13. & 22.*
(f) *M. Stanisl. Waryski loc. cit. pag. 187.*
(g) *l. Contractus ff. De Reg. Jur. Barbos de Appellat. v. Jur. signific. Appell. 42. n. 1. & seqq. & in Additam. ad Collect. ad 3. lib. Decret. de Commod. n. 11. & seqq. Card. de Luca de Regalib. discurs. 159. n. 8. Bald. l. 1. C. De postliminio.*
(h) *Sebast. Medices. in tract. de Casib. fortuit. p. 1. q. 16. n. 24. Paris. cons. 156. vol. 5. n. 22.*

à qui-

à quibus Annô 1447. tuta non fuit Polonia, quando quidem ſcelerati homines non modò vias publicas, ſed etiam pagos ac domos Equeſtrium hominum, & Oppida. furtîs ac latrociniîs infeſtârunt. Itaq; immunitate crevit licentia: adeò ut noſtri etiam non pauci de nobilitate latrociniorum ſocietatem cum Sileſis & Hungaris inirent. Multorum tunc Mercatorum merces prope *Graboviam* direptæ; multi item pagi in Ora *Vielunenſi* direpti & incenſi, *Bendinum* quoq; Oppidum captum & exuſtum. Sub id tempus ab iisdem *Swięto pelkus* de *Zawada*, Subpincerna Cracovienſis interfectus eſt, & *Nicolaus Bawelna*, Subpincerna Siradienſis ab iisdem captus. Similiter Annô 1457. *Kawka* & *Ioannes Swieborowſki* Fratres, cum ea quam collegerant latronum manu, montem dictum *Zebracze*, prope *Oſvecimum* communierant caſtellô, atq; inde viciniam omnem vexabant.

Pluri-

Pluribûs autem in dies tanquam in sentinam quandam confluentibûs, alium quoq; montem, qui *Wapienna gorá* dicitur prope *Dobczyce*, item *Myslenice* Oppidum incastellaverunt, parumq; abfuit, quin *Osuecimum* quoq; in suam potestaté redigerent. Similia An. 1462. consecuta sunt latrocinia: *Borziwoy* enim de *Skrzin* ex *Bithcza*, & *Włodek* ex *Letava* Castris dictis, cum mille hominibus, rapto vivere asuetis in *Poloniam* advenerunt, & in terra *Osuecimensi*, petram quadam situ & naturâ firmissimam quam fluvius *Soła* alluit, prope *Wołek* & *Zarisitam*, quæ *Bukowiec*, dicitur, incastellaverunt, ac fere *Osuecimensem* oram omné infestârunt.

Similiter Annô 1465. Milites ob non solutum stipendium Poloniam latrociniîs infestâre cæperunt, & pars quidem eorum non nulla *Dobrinensem* Montem Vistulæ imminentem, Duce *Mikosso* occupavit. Inde in *Masoviorum* & *Cujaviensium* agros excur-

rens

rens, & in prӕternavigantes impetum faciens, prӕdas agebat. Alii verò cum *Tomiccio*, *Jasienſcio Chorccio*, & *Bucovio* Bonis Eccleſiaſticis, Templorumq; & Monaſteriorum *Gneſnenſis* Diœceſeos ſuppellectili è *Labiſſino* imminebant. Qui facile mille equitum numerum explebant exceptîs peditibûs (*i*)

Item inventio theſauri, modò non ſit inventus datâ operâ. (*k*) Sic Annô 1339. in Arce *Leopolienſi* ingens vis auri & argenti, gemmarum, pretioſarum veſtium, & reliquӕ ſupellectilis vetuſta Ruſſorum Ducum gaza reper-

(i) *Alexand. cons. 47. lib. 6. n. 4. Rot. in Romana Mercium 27. Januar. 1604. coram Sacrato. ap. Farinac. decis. 208. n. 1. Cromer. loc. cit. fol. 336. 360. 373. & 383. & Dlugoſſ. ſub An. 1447. fol. m. 33. & ſub An. 1457. fol. 209. & ſub An. 1462. fol. 296. & ſub An. 1465. fol. 342. & ſeqq.*

(k) *Rota in Romana Lapidum & Statuarum 14. Maii. 1612. coram Sacrato. ap. Farinac. decis. 359. n. 7.*

ta eſt

ta eſt, in qua inſignes erant duæ Cruces aureæ, plurimîs & pretiosîs gemmîs diſtinctæ, quarum altera portionem Ligni, in quo CHRISTUS JESUS pependit, incluſam habuit, quæ extat etiam nunc in Baſilica Cracovienſi: item duo diademata cum ſella & veſte aurô gemmîsq; nitente. *(l)*

Item corroſio fluminis. *(m)* Item mutatio alvei. *(n)* Item devalvatio vel reprobatio monetæ, *(o)* qualem *Caſimiro* Regi exprobravit in Oratione ſua *Joannes Rithuianius*, homo magnô conſiliô & linguâ promptus. *(p)* Tutorem tamen non afficit hic caſus. *(q)*

Item dicitur eſſe caſus fortuitus infœcunditas Matrum: hæc tamen

(l) *Cromer. loc. cit. fol. 207.*

(m) *Bald. in l. Quæ fortuitis. Col. 1. C. de Pigneratit. Action. Natta cons. 66. n. 6.*

(n) *Fulgos. in cons. 183. & Surd. cons. 197. n. 8.*

(o) *Chriſtoph. Richters part. 1. decis. 13. n. 8.*

(p) *Cromer. loc. cit. fol. 364.*

(q) *Chriſtoph. Richters. loc. cit.*

non debet nocere Matribus ad obtinendam ſucceſsionem, à qua antiquo Jure arcebantur, idq́; ex Statuto *Juſtiniani.* (*r*) Item fuga ſervorum: (*s* ſervum autem fugitivum, ſi legatus fuerat, requirere debet Hæres ſuîs impensîs non Legatarii, nisì vivo adhuc teſtatore aufugeret. (*t*)

Item inter hos caſus fortuitos numeratur lapſus facultatum. (*u*)

(r) *Juſtinian. lib 3. Inſtit. de Senatus conſult. Tertulian. circa medium. ibi* = Impium eſſe credimus caſum fortuitum in Matris admitti detrimentum, quid enim peccavit, ſi non plures ſed paucos peperit? & dedimus jus legitimum plenum Matribus, etſi ter enixæ fuerint vel quater, ſed eum tantùm vel eam, qui, quæve morte intercepta fuit, ut & ſic vocentur in liberorum ſuorum legitimam ſucceſſionem.

(s) *l. Contractus ff. de Reg. Jur.*

(t) *Joann. Borcholten. in Commentar. lib. 19. de divis. ſtipulat. pag. m. 239.*

(u) *text. in l. 2. §. Si eo tempore. ff. De Adminiſtrat. rer. ad Civit. pertinent.*

Item

Item infirmitas & furor. (*x*) Item lemures, seu terriculamenta malignorum spirituum. (*y*)

Item effractura, seu effractio domûs vel tabernæ institoriæ. (z) Item falsa testium depositio. (*a*) Item præstatio metatorum seu hospitiorum, quæ militibus præbentur. (*b*)

Item casus Bullæ adnumeratur casibus fortuitis, utpotè proveniens à facto Principis: quia ibi censendus est casus fortuitus, ubi intrat Bulla Baronum. (*c*)

(x) *Paris. in tract de Resignat. Benefic. tom. 2. lib. 11. q 13. n. 79. & Toloss. in Syntagm. Jur. Univers. lib. 21. cap. 12. fol. 417. n. 4.*

[y) *Filiucius tract 36 cap. 2. de Contract. oneros. n. 30.*

(z) *Prateus in Lexic. Jur. v. Casus fortuitus.*

(a) *Toloss. loc cit.*

(b) *Chr. stoph. Richters part. 2. decis. 87. n. 14.*

(c) *Card. de Luca. de Feud. ad Bull. Baron. disc. 89. n. 15.*

Item factum Principis: quia non reputatur esse casus considerabilis, sed potiùs impossibilis. (*d*) Deinde quia appellatione casuum fortuitorum venit factum Principis non speratum. (*e*) Præcipuè quando est injustum, vel inverisimile, aut inopinatum, seu non speratum. (*f*) Imò plùsquam casus fortuitus aliquando reputatur: (*g*) nec culpa præsumitur esse, quando ex facto Principis commodata res fuit ablata; (*h*) idq; ex ratione: quòd Imperio Principis non potest resisti. (*i*) Ac ideò

(d) *l. Lucius. ff. De Eviction. Bald. cons. 395. vol. 2. n 3. Ludovis. decis. 371. n. 5*

(e) *Menoch. casu 608. n. 25.*

(f) *d. l. Lucius ff. de Eviction. Caped. Lusitan. decis. 114. p. 2. n. 5.*

(g) *Barbos. in Collect DD. in lib. 3. Decret. de Loc & Cond. fol. 138. p 11.*

(h) *d. l. Lucius. ff. de Eviction Barbos. in Addit ad Collect. in lib. 3. Decret. tit. 15. n. 14.*

(i) *l. Item si verberatum. §. Item si fortè. ff. De rei vindicat. Bald. in l. falsus. n. 30. C. De Furt.*

in

in omni promissione censetur esse reservata Auctoritas Superioris. (*k*)

Exemplum hujusmodi facti Principis potest esse in eo: si quis v.g. pro Quadragesima arendavit Piscariam cum facultate vendendi pisces. Papa verò aut de ejus licentia aliquis inferior, ob pestîs, aut aliam legalem rationem dispensavit à jejunio, concedens carnium esum. Prout accidit olim Romæ, dum *Alexander VII.* consiliô Medicorum ex causa pestilentiæ dispensavit à jejunio Quadragesimali. (*l*)

Item factum Judicis, si v.g. res ablata fuerit factô Judicis justô vel injustô. (*m*) Item iniqua Judicis sententia: injusta enim sententia & casus fortuitus æquiparantur, & ideo Advocatus,

(k) *Jason. in l. fin. n. 6 ff. Qui satisdare coguntur. Gratian. tom. 3. cap. 520. n. 25. & 26. & cap. 534. n. 57.*

(l) *Card. de Luca, de Regalib. discur. 134. n. 10.*

(m) *Scaccias de Commerciis. §. 1. q. 1. n. 137. Barbos. loc. cit. n. 25.*

qui perdit causam per injustam sententiam Judicis, post dicere Clientulo suo: quòd fortuito casu causam amisit. (n) Multò magis si ex imprudētia talis casus emersit, damna enim provenientia ex sententia lata ob inprudentiam Judicis, reputantur casus fortuitus; (o) quia non sperabatur ullo modo, ut Iudex contra jus positivum delinqueret, ac propterea in causa hujusmodi restitutio in integrum peti potest. Casus enim fortuitus, est justa causa restitutionis in integrum. (p)

(n) *Bald. in l. falsus col. penult. C. de Furt. & Laur. Sylvan. de Feudi recognit. q. 109. n 46.*

(o) *Bartol. in l. Si per imprudentiam. v. dicam ergo breviter. ff. de Eviction. Soncin. in l. Quidam relegatus. n. 6. v. tamen ex mente. ff. De reb dub. Carillus decis. Rot. 168. n. 2 in Eugubina. Refectionis damnorum. 22 Januar. 1641.*

(p) *Sfortia Oddi de Restit. in integrum. p. 1. q. 14. n. 1.*

Exem-

Exemplum injuſtæ Iudicis ſententiæ habemus in noſtro Regno Poloniæ, ubi *Vladislaus Iagello*, *Ioannem Venetiũ*, gente *Plomienium* Iudicem Terreſtrẽ Poſnanienſîs Conventûs, qui propter injuſta judicia & ſcelera perpetrata, *Cruenti Dæmonis*, cognomentum meruit, confiſcatione Bonorum & carcere punivit. (*q*)

Simile exemplum etiam ac falſæ teſtium depoſitionis habetur: quidam *Stanislaus Iwanek*, famulus cujusdam Civis Lublinenſis, ducens ex ſylva currum lignîs onuſtum, causâ ſedandæ ſitis ſubſtitit in itinere, & intravit tabernam ſibi obviam, ubi jurgantes ruſtici occiderunt duos ruſticos. Dum ventũ ad inquiſitionem, *Iwanek* innocens homicidii reus proclamatur, unde rapitur, incarceratur & ad pœnã colli decretatur; nec ei creditum eſt, quamvis ſuã innocentiam teſtaretur Cœlo teſte,

(q) *Dlugoſſ. lib. 10. Hiſtor. Pol. fol. m. 108. Cromer. de Reb. Pol. lib. 15. fol. 246*

Unde carnifice frustraneum ternum ictum in ipsius collum vibrante, post fugiente, *Iwanek* de loco mortis ad Civitatem reducitur, ubi curatis cicatricibûs ad loca sacra peregrinatus est. (*r*)

Item inter hos casus fortuitos numeratur mors non naturalis, v.g. ab aliqua fera vel animali causata. Sic accidit An. 1184. *Casimiro Duci*, cujus Filius adolescentior *Boleslaus* nomine, arborem quandam jocandi gratiâ conscendit, & illico vipera de stipite corruens, in gula tenera & delicata *Boleslaum* lædens, violenter eum suffocavit & extinxit, adeò quidem præcipitanter, ut de terra à circumstantibus sublatus, neq; vocem, neque gemitum ediderit. (*s*)

Item fractio pedis. Sicut accidit *Vladislao Regi* An. 1426. qui venationi ursi insistens casualiter pedem fregit. (*t*)

(r) *Dlugoss. sub An. 1452. fol. m. 104.*
(s) *Dlugoss. lib. 6 Hist. Pol. fol. 550.*
(t) *Idem lib. 11. Hist. Pol. fol 480.*

Item falsificatio testamenti. Exemplum habetur *in Summis Neapolitanis*, quæ ad Rempublicam Polonam devolutæ erant. Cùm enim *Bona Sfortia* Regis *Sigismundi* I. Uxor, neglectîs Rege, Filiô ac Filiabûs, in *Italiam* profecta fuisset, præter Ducatum *Barensem* & *Rossanensem*, quem post Patrem *Joannem Galeacium Sfortia* & *Isabellam Aragoniam* Matrem jure succesionis naturalis possedit, còémerat ibi multa Castella & censusistos pro quadringentis triginta millibus ducatorum Neapolitanorum. Verùm ex tam amplo opulentiq; peculio ad Hæredes ipsius non nisì triginta octo millia, octuaginta sex ducati Neapolitani pervenerunt. Fraude id factum *Joannis Papagodæ*, unici illius Reginæ consiliorum Sequestri, qui moriente Regina Annô 1558. d. 17. 9bris *Barii* jam linguæ memoriæq; usu destituta, sublevato ad nutum faciendum ejus capite

te

te, conſcribi fecit teſtamentum, & in eo legari *Regi Hiſpaniæ* Barium, Roſſanumq́, ſibi Caſtrum Capurci, nec non plurima alia magni pretii dona, Hæredibus verò pauca ſuppellex & cenſus prædicti obtigerunt. (*u*)

* Item inter caſus fortuitos *naturæ factô* provenientes, numeratur etiam ubertas caſu fortuito contingens. (*x*)

Item ariditas manûs, per infectionem paralyticam, præcipuè homini in Officio conſtituto, puta Judici aut Notario, habetur pro caſu fortuito. Exemplum hujusmodi fuit in *Adamo Buchoniecki*, Judice Terreſtri Grodnenſi quo cum diſpenſavit Reſpublica dum tactus fuit paralysî in manu, quatenus nomine illius Subjudex vel Notarius decreta ſubſcriberet.

(u) *Paul. Piaſecki in Chron. geſtor. in Orb. ſingul. ad An. 1606 fol. 282.*

(x) *Barbos. in Collect. DD in lib. 3. Decret. de Locat & Cond fol 138. n 11.*

Prout

Prout videre eſt *in Conſtit. Regni An.* 1658. *fol.* 47. *tit.* *Wárunek podpiſowi* ibi: Iż Urodzony *Adam Buchoniecki*, Sędźiá Ziemski Grodźieński, od lat kilku párálizem záráżony podpiſowáć ſpraw y dekretow nie może, tedy *conſtitutum* ieſt Uchwała Seymowa, áby ná tákowych dekretách Pod ſędek y Piſarz ſwoim ypomienionego Sędźiego Imieniem podpiſowáli ſię, á te podpiſy ták przeſzłe iáko y przyſzłe będą ważne.

*Qualis ubertas erat Annô 1456. in agro *Miechovienſi*, adeò: ut ex unico duntaxat prædio *Zagorzyce* dicto, ſeptem millia caſſularum optimi tritici collecta fuerint. (y)

(t) *Samuel Nakielſki loc. cit. fol.* 503.

Corol.

Corollarium 4tum.

IN plerisq; casibus fortuitis, qui veniunt *sinè culpa*, sicut potest reperiri culpa, ita pariter in illis casibus, qui veniunt *ex culpa*, potest inferri immunitas à culpa. Sicuti aliquis eventus potest dici casus fortuitus respectu unius & non respectu alterius: ùt incendium respectu illius qui incendit dolô aut culpâ, dicetur *factum*, at respectu passi damnum suorum bonorum aut aliorum per illud, qui nullatenus fuit ejus conscius, dicetur casus fortuitus. *Martin. ab Azpilcueta in Manua. Confessar. cap.* 17. *pag.* 417. *n.* 178.

Et in primo casu: Sterilitas, quæ ordinariè ex Solis nimio ardore, vel uredine ventorũ, aut inundatione, adeoq; sinè culpa venit, potest accidere ex culpa: nimirùm si colonus agros debitè non coluit, non instercoravit, aut non debito tempore seminavit, aut

semen

semen ineptum jecit. (a) Deinde si colonus permisit agros incultos sinè cultura in Anno sterilitatis jacere, aut illos post cessationem exundationis, more vicinorum non curavit arari & seminari, prout omni cum diligentia facere debuerat. (b)

Ita etiam mors naturalis quæ ob ingruentiam pestîs, aut per jura naturæ, sinè culpa est, potest evenire cum culpa: si Conductor animal v.g. equũ conductum percussit fuste, lapide, lignô, non item flagellô aut calcaribûs. (c)

Ita quoq; lemures seu terriculamenta Dœmonum excusant à Culpa Condu

(a) *Rodoanus de Reb. Eccl. non alienand. cap. 2. n. 1. & seqq. l. In rebus. ff. Commod. l. penult. in princ. ff Soluto Matrimon. & l. Cùm proponas. C. De Nautico fœnore.*
(b) *gloss. in l. si Uno. §. Cùm quidam. ff. Locati. Surdus decis. 87. n. 1. & seqq.*
(c) *Vivius in Decisionib. Regni Neapolit. decis. 1. n. 5. & seqq.*

ctorem

ctorem, quòd domum conductam propter metum malignorum spirituum deserit. (*d*) Secus si talia terriculamenta sibi malè dispositus fingat, aut arte aliqua illicita fieri procuret.

In altero pariter casu, incendium, quod non de Cœlo vel fulmine venit, sed domi exortum est, non præsumitur contigisse, nisì ex culpa: v. g. si quis fuliginem camini per annum passus est coacervari: item cùm per rimas rupti tubi, per quem fumus exit, ortum est incendium, & tubo isti adjacuissent fasces sive stramina. Deinde si Paterfamilias egrediens domô pueros solos penes focum reliquit, qui causam dedêre incendio. (*e*)

Attamen incendium prout est alienum à culpa, & facit verè casum for-

(d) *d. Filiucius Moral. Quæst. tr. 36. cap. 2. de Contr oner. n. 30.*

(e) *Tuldenus in Comment. ad lib. 4. Instit. Imper. tit. 3. cap. 8.*

tuitum

tuitum, veluti quando ſubita vi ventorum aut tempeſtate exorta ignis ex carbone immiſſo accenditur. (*f*)

Item quando ſpiculas quis comburit, ut faciliùs ſerere poſsit, adhibendo ad id diligentiam circa tempus, locum & cæteras circumſtantias, ne ignis longiùs egrederetur conſideratâ vi ventorum (*g*)

Item quando ignis immittitur à publicis hoſtibus, vel quando ignîs ſcintilla de uno loco in alium avolavit & domum incendit. (*h*) Quo caſu qui arcendi incendii gratiâ vicinas ædes intercidit, vel demolitur, ſive hoc juſſu Magiſtratûs, ſive juſto metu ductus faciat, ne ſcilicet ignis ad ſe perveniret, utroq; caſu actione *Legis A-*

(f) *Gaill. lib. 2. obſer. 21 n. 5. Matth. de Afflictis decis. 57 Card. Tuſcus Pract Concl. lit. I. concl. 60. n. 8.*

(g) *Ludoviſius decis. 25. n. 21.*

(h) *Farinac. in Prax. Criminal. q. 110. n. 38. & 39.*

quiliæ

quiliæ non tenebitur, etiamsi ignis adse non pervenisset.

Solent enim ea, quæ ex improviso casu potiùs quàm fraude eveniunt fato non noxæ imputari. Imò si pro salute totius viciniæ, ne ignis omnia urat, domus vicini diruatur: omnes vicini pro ejus reparatione in commune contribuere debent; quemadmodùm in jactu mercium pro salvanda nave, hi qui merces suas adhuc salvas habent, aliis damnum passis adjumento & subsidio esse debent. (*i*)

Similiter furtum, quod pro casu fortuito cum culpa reputatur, potest evenire sinè culpa, adeòq; fieri verè fortuitus casus. Exempli gratiâ: ut quia de nocte frangitur quædã camera, vel fornix in platea, puta si aliquis ostium bene confirmâsset, nam tunc verisimiliter non debet præcaveri. (*k*) Aut

(i) *Gaill. Observ. Pract. lib. 2. observ. 22. n. 3.*

(k) *l. eam qui. §. Idem scribit. ff. de Furt.*

quia

quia uxor viro vel familiaris furatur alicui, vel si datur alicui potatio opiatica ut dormiat. (*l*)

Deinde ordinariè furtum inter casus fortuitos connumeratur, si à conjunctis perpetratum sit, contra quos non poterat esse suspicio: (*m*) potissimùm dum constitit non furatam fuisse in loco rem cum propriis rebus illius, qui eam custodiebat, (*n*) vel custodem alioquin esse diligentissimum & probatissimum. (*o*)

Quò verò ad casum fortuitum belli, idem verè inter fortuitos computan-

(l) *Vessembec. cons. 36. n. 28. de probat. amiss. pec. deposit. Schneiduinus lib 3. tit. 15. pag. 847. n. 33.*

(m) *Sylvester v. Casus fortuitus. Menoch. de Præsumpt. lib. 6 præsump 61. n. 34. Tulden. ad lib. 4. Justit. Imper. tit. 5. cap. 5. n. 26.*

(n) *Mascard. de Probat. concl. 839. n. 13.*

(o) *Barbos. in Additam. ad Collect. lib. 3. Decret. tit. 19. de Commod.*

dum eſt, neq; ad praxim deduci poteſt, ut culpæ poſitivæ adſcribatur. (*p*) Permutationes verò in Regnis, quæ fiunt propter guerras, non dicuntur caſus fortuiti inſoliti, nam ſolent crebrò iſtæ permutationes fieri, (*q*) quod videtur procedere in Regno noſtro, in quo tot præceſsêre mutationes, quas modò annuente Domino, vigeſimô primô jam fere annô undiq; abextra ſtrepentibûs armîs in ſumma tranquillitate moderante Regnũ noſtrũ Sereniſsimô ac Potentiſsimô Dominô Noſtrô AUGUSTO III Rege & Sereniſsima Ejus Conſorte MARIA JOSEPHA Auſtriaca, Reginâ Poloniarum evitavimus:

His ego nec metas rerũ nec tempora pono,
Imperium ſinè fine precor. (r)

(p) *Card. de Luca de Regal. decis. 118. n. 8.*
(q) *Urſill in Annot. ad decis. 150. Matth. de Afflictis. n 4.*
(r) *Matth. de Afflictis. in decis. 150.*

Corol-

Corollarium 5tum.

CAsus fortuiti sive ex facto *naturæ*, sive ex *facto hominis*, aliàs sive *ex culpa*, sive *præter culpam* evenerint, debent probari per allegantem eos, (*a*) idq; in loco, ubi casus factus est; qualiter casum fortuitum allegans commissum circa pignus Credi-

(a) *Arnold. de Reyger in thesaur. Jur. fol. 436 n. 2. in Addition. Et Constit An. 1569. fol. 182. §. Ieśliby. ibi* = Ieśliby komu sługá posłány z Kwárćiánemi pieniadzmi álbo umárł ná drodze, álbo mu się iáki *casus* tráfił, tedy ten czyie pieniądze były, ma oświádczenie przygody tęy uczynić wGrodźie bliższym, á oświádczenie owo ma z sobą ná bliższą kádencyą przywieść, y przysięgą potwierdźić. *Et Const. A. 1607. fol. 842. tit. o Procesśie skárbowym ibi* = Ieżeliby ktory Dźierżawcá raty swoiey nie odwiosł *pro tempore præfixo*, ma podpadáć *ipso facto* pod winę utrácenia Dźierżáwy, ma iednák probowáć *legale impedimentum*, álbo *casum fortuitum*.

tor, probare debet. (*b*) Imò tam per Actorem agentem, quam per Reum excipientem, (*c*) cùm utriusq; intentionis fundamentum fuit. (*d*)

Imò qui se à Casu fortuito, quòd sinè culpa venerit, relevare prætendat,

(b) *l. Si Creditor & ibi Bald. post gl. in v. Perdidisse. C. De Pignerat. Action. Abb in c. 2. Deposit. Colerius decision. Saxonic. decis. 9. n. 8. l. Si scire oportet. §. Sufficit ff. de Execution. l. publicatis. C de Testament. l. 2. C de Naufrag Barb. in additam. ad Collect in libr Decretal. n 18. Parsien. cons. 156. n. 2 & 3. vol. 4. Mascard. de Probation. concl. 271. n. 1. Surd. tract de Aliment. tit. 4. q. 15. n. 50.*

(c) *Numer. 35. v. 22. ibi* = Si aliquis quempiam fortuitò & absq; odio & inimicitiis occiderit, & hoc fuerit comprobatū, atq; inter percussorem & propinquum sanguinis quæstio ventilata, liberabitur innocens de ultoris manu.

(d) *Alexand. cons. 58. circa 1. quæsitum n 6. vol. 1. Mascard. de Probat. concl. 277. n. 2. & AA. ab eo relati.*

debet

debet coram illo Judice loci, ubi casus fortuitus accidit, sese per testes emundare, etiam absente parte adversa, idq; intrà Annum, nam postea non audietur. (e)

Nec interest, sintne vocati quorũ interest? si longè absint: verùm si prope, vocandi, si vocari commodè possint, vel salva remanente illis, quam dicunt se habere, exceptione. (f)

Quod observare maximè debent redemptores & conductores fructuũ, beneficiorum, scilicet ut suo tempore, & dum certa jactura colligi potest ex fortuitis casibus, æstimatores, & testes idoneos adhibeant. (g)

(e) *l. 2. & 3. C. de Naufrag. Toloss. in Syntagm. Jur. Univer. lib. 21 cap. 12. n. 6. Vivius decis. Neapolit. decis. 1. n. 2.*

(f) *c. Quoniam frequenter. Ut lite contestata. l. Generaliter. §. his de præsentibus. C. de Reb. Credit Tolosf. loc. cit.*

(g) *l. Testium facilitatem. & ibi glos. & l. fin. C. De Testib.*

Nam

Nam qui casum objicit, debet illũ probare; (*h*) & non tantùm per Testes, sed etiam casuum fortuitorum sunt probationes, quæ fidem recipiunt ex ipsa naturali justitia, ut non egeant Juris solemnitate. (*i*) Quando verò necessitas postulat, qualis est propter periculum mortis testîs, vel absentiã, potest in quocunq; loco fieri probatio, etiam non citata parte in longinquitate loci degente. (*k*)

Ac ideo casum depositæ rei allegans, non probans, non meretur fidẽ. (*l*) Sicut Socius in causa societatis allegans damnum per casum fortuitum datum, debet casum perditionis probare manifestissimîs probationibûs, (*m*)

(h) *Toloss. loc. cit.*

(i) *l. Scire oportet. §. Sufficit. ff. De Excusat Toloss. loc. cit.*

(k) *Mascard. de Probat. concl. 272. n. 5. & seqq.*

(l) *Vessembec. cons. 8 n. 26.*

(m) *l. Si Creditor. C. de Pignerat Act. Arnol. de Reyger in thesaur. Jur. fol. 435. n. 6.*

eodem

eodem modo, quô allegat casum fortuitum; idq; intelligendum est per duos vel per tres testes. (*n*)

Imò probatur per juramentum, quod intellige verum, quando casus fortuitus est excusativus à pœna, ne in eam incurrat; quia tunc probatur per proprium juramentum, quando dicti casûs fortuiti difficilis est probatio. (*o*)

Pariter etiam Conductori pecudum, asserenti eas sibi fuisse abactas, credendum non est: nisì probaverit casum furti. (*p*) Pariter etiam alleganti se amisisse pecuniam, & ideo non potuisse impertiri Sociis: (*q*) casus quippe fortuitus non præsumitur, nisì probetur, ex quo casus sit facti, factū.

(n) *l. 2. C. de Naufrag.*
(o) *l. Non omnes. §. à Barbaris. ff. De re milit. Arnold. de Reyger loc. cit.*
(p) *Alexand. cons. 118. vol 1.*
(q) *Mascard. loc. cit. concl. 272. n. 2.*

pariter

pariter non præsumitur, nisì probetur. (r)

Probari autem debent casus fortuiti ab allegante, non tantùm quòd verè evenerint, sed quòd sinè culpa ejus evenerunt, potissimùm in casibus, in quibus præsumitur culpa, ut in furto, incendio, morte non naturali animalium, fuga servorum & aliis (s).

Quæ probatio casuum fortuitorum confici potest: imò. *per juramentum*, concurrente arbitrio Judicìs, veluti si quis ad judicium propter casum fortuitum non comparuit: imò casus fortuitus v.g. fluminis impetus excusat non appellantem infra legitima tempora

(r) *Abb. in c. Si verò n. 8. De sentent. Excommun. l. in bello ff. de Captiv. & postlim. rever*

(s) *Vessembec. cons. 36. n. 77. De probat. amis. pec. depos. Farinac. part. 3. q. 110. n. 84. Barbos. in additam. ad Collect. in lib. 3. Decretal. n 19. Jason. in l. Si quis ex Argentariis. §. An vero. ff. De edendo. Mascard. loc. cit.*

pora. (*t*) Si tamen Actor allegat casum fortuitum pro fundamento suæ intentionis, aliter quàm per juramentum probare illum debet. (*u*) Si verò casus fortuitus contingat circa personam, tunc probatur juramentô. (*x*)

2*dò per testes*, potissimùm si casus fortuitus fuit manifestus, veluti naufragium: cùm enim casus naufragii sit manifestus, manifestè etiam per testes probari debet; & nisì naufragium subiens v.g. Mercator intrà annum probet casum naufragii, aut alterius damni, non erit audiendus. Similiter Fiscarius seu Susceptor specierum publicarum tenetur de earum amissione, nisì intra Annum casum probaverit. (*y*) In testes verò possunt as-

(t) *Mascard loc. cit. concl. 272. n. 15. c. Si verò. De Sent. Excom.*

(u) *text. in l. Creditor. C. De Pignorat. actiõ.*

(x) *Bartol. in l. 4. C. De Pignerat. Action. Arnold. de Reyger. loc. cit fol. 436. n. 18.*

(y) *Mascard. loc. cit. & concl. 273. n. 12. & 14.*

sumi

ſumi familiares, domeſtici, etiam filii & uxor, ſi veritas aliter patere nequit. (z)

3tiò. tandem per Conjecturas, præſumptiones, & veriſimilitudines, qualis eſt nocturna latronum irruptio, forium effractio, vociferatio, & ingens clamor noctu editus. Item repentina coram vicinis promulgatio de latronum irruptione, & pignoris ablatione: (*a*) quanquam clamor & vociferatio nisì aliud veſtigium appareat, non bene probat furtum: nam tali clamore multæ fraudes humanitus fingi poſſent. (*b*)

Et regulariter: quando caſus fortuitus in amiſsione conſiſtit, amiſsio ante omnia probanda erit: (*c*) neq;

(z) *Farinac. part. 3 q. 110. n. 84. Barbos. & Maſcard. loc. cit.*

(a) *Speculat. tit. de Furt. v. penult. & Maſcard. loc. cit.*

(b) *Speculat. tit. de Pignor. in princ. & Maſcard. loc. cit.*

(c) *l. Si Creditor. C. De Pignerat. Act. & Arnold. de Reyger loc. cit fol. 437. n. 4.*

jura-

juramentum sufficere, (*d*) quod etiam de *Iure Saxonico* videtur procedere.

Licèt aliud dici possit de purgatione culpæ, cùm aliud sit casûs probatio, aliud culpæ excusatio. (*e*) Quò ad culpam autem multum interest: casus ne ille sit? qui sinè culpa regulariter fieri potest; ùt sunt incursus hominũ, impetûs aquarum, mortes animalium. (*f*) Nam tunc is, qui dicit culpâ casum contigisse, probare debebit. Sicut enim dolus non præsumitur, ita nec culpa. (*g*) Et tunc culpa in quo specificè commissa est, probari debet. (*h*)

Si verò casus talis sit, qui absq; culpa plerumq; contingere non solet, ùt

(d) *text. in l. Si Creditor. C. De Pignerat. Action. Vessemb. cons. 36. n. 30. & 31.*
(e) *DD. in l. Si quando. C. Unde vi. Arnold. de Reyger loc. cit. fol. 437. n. 4.*
(f) *l. Cùm duobus. §. Damna. ff. Pro Socio. & l. Contractus ff de Reg. Jur.*
(g) *Arnold. de Reyger loc. cit.*
(h) *Cravet. cons. 151. n. 11.*

est

eſt incendium. (*i*) Item furtum. (*k*) Tunc quia præſumptio eſt contra allegantem hunc caſum culpâ ipſius contigiſſe, non ſatìs eſt, quòd caſum probet ſed neceſſum etiam eſt, ut probet absq; culpa factum fuiſſe. Quod tamen in caſibus, ubi culpa plerumq; intervenire ſolet, intelligendum de culpa leviſsima. (*l*)

Ideoq; ſi alicui res gratìs commodata fuerit, is etiam de leviſsima tenetur. (*m*) Secus verò eſt, quando quis levem culpam ſolùm præſtare tenetur, utì in furto vel incendio, quando nulla eſt præſumptio, quæ aliquem levis culpæ arguat, is qui dicit culpâ ipſius factum eſſe, id probare tenebitur; alioquin reus (ex eo quòd

(i) *l. Si vendita. ff. de Peric. & Commod. rei vend.*

(k) *l. Cum duobus §. damna. ff. Pro Socio.*

(l) *Didac. ſponſal. p. 2. cap. 6. §. 8. n. 14.*

(m) *Inſtit. lib. 3. tit. 15. Quibus modis re contrahitur obligatio. §. Item is cui.*

de

de furto vel incendio nulla ſit præſumptio, vel in ſimili caſu, & is qui dicit culpâ ipſius factum eſſe, probare tenebitur) ſatìs excuſatus erit. (*n*)

Sed licèt quis probato caſu, quandoq; ipſo Jure culpâ vacare præſumatur, quandoq; verò id aliter probare teneatur, tamen non raró id ipſum, reum videlicet culpæ expertem, proprio ipſius juramento committi ſolet, ſi tamen priùs de caſu conſtiterit. (*o*)

(n) *Didac. tit. de Sponſal. n. 14. Menoch. de Arbitr. Judic. lib. 2. cent. 4. caſu 390. n. 10.*

(o) *Specul. in tit de furt. n. 15. DD. in gl. l. admonendi. ff. de Jurejurand.*

Concl.

Conclusio II.

CAsus fortuiti maximè ex facto naturæ & alii sinè culpa prodeuntes in cõtractibus & transactionibus voluntate paciscentiũ genericè vel specificè suscipi vel abrenuntiari possunt. (a)

Corollarium 1mum.

QUamvis voluntate sua paciscentes possunt renuntiare omnibus casibus fortuitis, renuntiatione tamen non veniunt casus insoliti: utì est siccitas

(a) *l. licet. C. De locat & Conduct. glos. in c. Qui ad agendum. De Procurat. in 6to. Petrus Alagona in compend. Jur. Canonic. cap. 1336. Gail. lib. 2. observat. obser. 23. n. 17.*

inso-

insolita, vel exundatio raró practicata, vel destructio slozæ aut molendini per vim fluminis. (*b*)

Quia suscipiens in se periculum quod dici posset, non suscipit valde insolitum. (*c*) Ac deinde casus valde insolitus à contrahentibus prævideri nequit, (*d*) imò casus insolitus à qualibet generali renunciatione exclusus esse censetur. (*e*)

Nec obstat etsi quis renuntiationẽ suam juramentô firmaverit, quia juramentum non extenditur ad non cognita, & non obligat præter consensum jurantis, ille verò renuntians non

(b) *Alexand. cons. 140. col. n. 2. vol. 1. Azo de Locat. & Cond. in addition. sub v. Pactum Ursill. in Annot. ad decis. 150. Matthei de Afflictis. Gratian. tom. 3. cap. 557. n. 68.*

(c) *Alexand. cons. 28. n. 1. lib. Farinac. de Furt. q. 169. n. 7.*

(d) *Vincent. Sev. obser. 141. n. 26.*

(e) *Labeo in l. Fistulas. §. Frument. ff. de Contrah. empt. Aym. cons. 95. n. 2.*

videtur

videtur consensisse dictis casibus insolitis non expressis. (*f*)

Secus si fuissent expressi: nam si etiam casibus fortuitis insolitis renunciatum est, standum est conventioni; nam volenti & scienti nulla est injuria. (*g*) Cæteroquin sicut arbitrio Judicis cognoscere quis sit casus insolitus, & quis non? relictum est, (*h*) ita in hujusmodi contractibus bonæ fidei non stricto Jure, sed æquitate procedat consultum. (*i*)

(f) *l. fin. C de non numer. pecun. Sylvester sub v. Casus fortuitus n. 3.*

(g) *Sylvest. loc. cit. Gail. lib. 2. Observat. 23. n. 19 & observ. 52. n. 27.*

(h) *Joan. Castil. Quotidian. Contraver. lib. 3. cap. ad fin. & alii plures.*

(i) *Marius Giurba obser. 24. n. 10. & alii plurimi.*

Corol-

Corollarium 2dum.

CAſus fortuiti non continentur appellatione periculi, (*k*) unde ſi quis ſuſcipiat in ſe omne in univerſum periculum, ſi non addat illa verba; *caſus fortuiti*, non tenetur de caſu fortuito, ex communi DD. ſententia. (*l*) Et ratio differentiæ eſt: quia ſuſcipiens in ſe *periculum* tenetur tantùm de leviſsima culpa, ſuſcipiens verò *caſum fortuitum* tenetur de caſu contingente abſq; aliqua culpa adverſarii. (*m*)

Similiter caſus fortuiti, præſertim inſoliti non comprehenduntur ſub generali diſpoſitione, niſì de his fiat ſpecialis mentio, (*n*) & non videntur

(k) *gl. in l. Sed & ſi quis §. Quæſitũ. ff. Si quis cautio. l. Quæ fortuitis. C. De Pign. Act.*

(l) *c. Unico De Commodat. Alexand. cons. 28. vol. 1. & cons. 23. vol. 2.*

(m) *Seraph. de Privileg. Juram. priv. 106. n. 21. Sylveſt. v. Caſus fortuitus. n. 2.*

(n) *l. Quæ fortuitis. C. de Pignerat. Action. can. de occidẽdis. 23. q. 5. c. fin. de homicid.*

ſuſcipi per generalem caſuum renunciationem. Quare quando ſe aliquis obligavit ad omnem generaliter caſum, non expreſſo caſu fortuito, non tenetur de illo: nam vocabulum *Caſus*, ad caſum fortuitum, vel vim majorem referendum non eſſe, ſed intelligi de ſimplici & naturali rei eventu. (*o*) Cæterùm *Paulus de Caſtro in l. Sed ſi quis. §. quæſitum. ff. Si quis caution.* dicit: Nauclerum, qui ſe obligavit ducere res militares, aliasq; ad locum conventum, ſi ſuſcepit in ſe omne periculum, intelligi ſuſcepiſſe etiam periculum caſûs fortuiti, ſive naviget tempore periculoſo, ſive tempore congruo; quia periculum eſt terminus generalis, qui comprehendit caſum fortuitum tanquam ſpeciem. (*p*) Præterea quòd qui omne dicit, nihil excludit (*q*)

o) *gl in l. ſed et ſi quis. §. Quæſitum. ff. Si quis cautio. Et Philipp. Matthæi in Commentar. ad reg. Jur pag. 186. n. 2.*

(p) *Anton Thom. Schiara Theologiæ Bellicæ lib. 7. fol. 163. n. 18.* (q) *l. 68. ff De Legat. 3tio.*

Corollarium 3tium.

COnductor abrenuntiando in contractu casibus fortuitis, utpotè guerræ, pesti, exundationi & aliis in singulari casibus, aliàs recipiendo in se casus fortuitos, licèt tandem subjecerit clausulam generalem: *& alios omnes qui imaginari possunt, vel omne aliud periculum*, non ligatur quin à Locatore remissionem petere debeat propter damnum ex casu aliquo fortuito, inconsueto, & insolito, v. g. chasmate, terræ motu, aut igne Cœlitus misso, & omnia sata devorante, emergenti eveniens. (*a*)Quia licèt non sit novum, ut lex quibûsdam specialiter enumeratîs generale subjiciat verbum, quod specialia complectatur, (*b*)

(*a*) *Alexand. cons. 140. col. 1. & 2. vol. 1. Azo de Locat. & Cond. in Addition. sub v. Pactum.*

(b) *l. Generali lege. C. de Sacrosanct. Eccl.*

impossibile est omnes casus fortuitos imaginari, cùm sint innumerabiles, adeoq; varii, de quibus nunquam mens humana cogitavit vel cogitare potest; & propterea nec est præsumendum, quòd se quis ad illos obligare voluerit, alioquin contrahentes sub involucro verborum generalium caperentur, præter & ultra mentem ac eorum intentionem, quod admitti minimè debet. (c)

Similiter tenendum contra *Cravettam*, si quis in cantractu suscepit in se omnes casus prævisos & non prævisos, cogitatos & non cogitatos: quia nulla renuntiatio ita generalis inveneri possit, ut porrigatur ad casus non cogitatos, à vi majore præter mentem humanam obtingentes, nam sequeretur quòd quis obligaretur sinè

(c) *l. qui cum Tutoribus.* §. 1. *ff. de Transact. Consultationes Constitutionum Saxonicarum tom.* 3. *p.* 1. *de Contract. q.* 11. *n.* 25. *&* 27.

consen-

consensu quod est impossibile. (*d*)

Nec obstat clausula generalis in contractibus apponi solita, *renuntians omni legum auxilio*: quia per eam solùm excluditur remissio quò ad damnum datum in fructibus, videlicet quando Conductor impeditur in re conducta, non verò quò ad damnum contingens in substantia rei non extantis & destructæ, utì molendini vi fluminis sublati: tunc enim non juvant renuntiationes casuum fortuitorum etiam generalibûs terminîs comprehensæ. (*e*)

Et casus fortuitus contingens in re conducta ad Locatorem spectat: quare concedens domum extra mœnia Civitatis, quæ tempore obsidionis fuit destructa, tenetur restituere Locator anticipatas pensiones receptas, est enim periculum Locatoris. (*f*)

(d) *Seraphin. loc. cit. n. 19. l. Obligatione generali. ff. De Pignor. & hypoth.*

(e) *Gratian. discept. foren. cap. 195. n. 6.*

(f) *Tusch. concl. 607. sub lit. C. & l. Si fundus. §. fin. ff. Locat.*

Corollarium 4tum.

QUamvis ordinariè potest quis pactô generalî vel specialî in contractu expresso in se suscipere casus fortuitos, (f) non intelligitur tamen eos suscipere, si contingant culpâ adversarii, seu alterius partis contrahentis. (g)

In tribus enim casibus suscipiens ex pacto in se casus fortuitos ad illos sufferendos non tenetur. *imò.* cùm culpâ adversarii casus contingit: & ita si Conductor ob inimicitias locatoris patiatur damnum non tenetur. *2dò.* cùm aliquis adversarii factô incidit in casum fortuitum, etiamsi factum esset justum; ùt si Locator bellum moveat, & occasione belli Conductor damnum patiatur. (h) *3tiò.* quando Locator cùm

(f) *l. Jurisgentiū. § Item si quis. ff. De Pact. l. si quis fundum. ff. Locat. Gail. lib. 2. observ. 23. n. 17.*

(g) *Seraphin. loc. cit. privil. 10. n. 20. Ursill. in Adnotat. ad decis. 150. Matthæi de Afflictis. n. 7.*

(h) *Bartol. in l. Si merces. §. Culpa. ff. Locati.*

posſit non vult impedire fortuitum caſum: veluti ſi Magiſtratus admoniti de peſte, non impediunt cùm poſſunt. (*i*)

Et è contra, etſi Conductor ex pacto non obligavit ſe ad caſus fortuitos, ſi tamen idem Conductor eſt transgresſus aliquod aliud pactum aut conditionem, & fuit occaſio, ut res caſu fortuito periret; tunc tenebitur de tali caſu fortuito, ſecus ſi non fuiſſet occaſio.

Veluti ſi pactum fuiſſet, ut nullus omnino ignis fuiſſet in re conducta, utiq; ſi fuiſſet, quô domus combuſta eſſet, tenebitur Conductor quaſi ex pacto de caſu fortuito. (*k*) Item ſi pactũ fuiſſet, ut fœnum non mitteretur in prædiũ, & deinde miſſum eſt, unde caſu prædiũ exuſtum eſt: tenebitur Conductor, ac ſi ſe ad caſum fortuitum obligâſſet.(*l*)

(i) *Ripa in tract. de Peſte tit. de Privil. Contr. peſt. n. 79. Filiucius tract. 33. de Contract. in commun. cap. 9. n. 158.*

(k) *l. Videamus. §. Si hoc. ff. Locati.*

(l) *Filiucius loc. cit. n. 42.*

Corol.

Corollarium 5tum.

IN transactione contrahentium casus non prævisus seu obtrusus censetur esse exceptus & reservatus, (a) quia tali casu quis non paciscitur sed decipitur. Etenim semper in omni contractu censetur exceptus esse dolus, (b) qui dolus dicitur bene probatus, dum fuit tacitũ id, quod si fuisset expressum, retraxisset contrahentem à transactione: (c) quoniam suscipiens in se periculum casûs fortuiti, non videtur intellexisse de eo casu, qui contingeret dolô vel culpâ illius, cui facta est promissio; (d) ac deinde quod latenter aut per vim, aut aliàs illicitè introductum est nulla debet stabilitate subsistere. (e)

(a) *l. Qui cum tutoribus. §. Qui per fallaciam. ff. De transact.*

(b) *l. Creditor. §. Lucius. ff. Mandati.*

(c) *Fachin. cons. 18. n. 26. lib. 1. Rota in Bononien. Nullitatis concordiæ 12. Junii 1645.*

(d) *Ripa loc. cit. p. 1. n. 87. Petr. Barbos. tom. 2. in l. Si ab hostibus. n. 6.*

(e) *c. Quod latenter. De Reg. Jur.*

Conclusio III.

CAsus fortuiti factô naturæ & sinè culpa venientes, Dominum, non Possessorem rei peremptæ: casus verò ex culpa Possessoris vel ex pacto procedentes, Possessorem non Dominum ordinariè respiciunt. (*f*)

Corollarium 1mum.

CAsus fortuiti in Contractibus nominatis iis, in quibus non trans-

(f) *l. Marcius. ff. Locat. l. 1. §. Sæpe. ff. Deposit. l. 6. C de Pignerat. Action. c. 1. De Precar. Card. de Luca de Locat. disc. 11. n. 1. AA. ap. Carpsov. Jurisprud. Consist. lib. 1. cap. 10. defin. 159. n. 3. Philip. Matthæi de Reg. Jur. pag. 187. n. 99. Surd. cons. 61. n. 39. Bonacin. tract. de Commod. dist. 3. q. 1. punct. 6. prop. 4. n. 2.*

fertur

fertur Dominium, quales sunt: *Commodatum Depositum, Pignus* & *Locatio*, pertinent ad Dominum rei: in iis autem, in quibus transfertur Dominium, casus fortuiti pertinent ad eum, qui debet transferre Dominiũ, si ante contractum obtingant: post contractum autem res pereunt ei, in quem translatum est Dominium rei, ut res vendita emptori, mutuata Mutuatario. (*g*)

Quia contractu perfecto periculum rei venditæ, statim ad emptorem pertinet, tametsi ea res adhuc emptori tradita non sit. (*h*) Tum, quia interitus speciei nocet Creditori, idest emptori: & liberat Debitorem speciei, idest Venditorem. Tum, quia ad emptorem spectat Commodum, ergo etiã incommodum. (*i*)

(g) *Filiuc. Moral. Quæst. tract. 33. de Contract. in comm. cap. 11. n. 141. Richters part. 2. decis. 87. n. 19.*

(h) *l. 1. C. de peric. & commod. rei vend.*

(i) *Schambogen. in Lection. public. in Instit. lib. 3. §. de periculo & comm. rei vendit. pag. 538.*

Fallit

Fallit tamen *imò*. Si emptio fuerit cõditionalis, tunc enim, cùm ante conditionis eventum perfecta necdum sit emptio, periculum ad venditoré pertinet. (*k*) nisì aliter conventumfuerit. (*l*)

2do. Si Venditor periculum in se susceperit. (*m*) *3tio*. Si dolô vel culpâ levî venditoris perierit. (*n*) *4to* Si emptum quid sit in genere; genus enim non perit, uti etsi vendita res fungibilis ut enim periculum transeat, debet res esse, appensa, numerata, mensurata (*o*)

5to. Si quid sit sub alternatione emptum: tunc enim una re pereuntè, adhuc debetur altera. (*p*)

6to. Si res vendita ob delictum venditoris sit publicata. (*q*) *7mo*. Si ven-

(k) *l. 8. ff. de peric. & comm. rei vend.*

(l) *l. Si in venditione. ff. de peric. & comm. rei vend.*

(m) *text. d. l. Si in venditione.*

(n) *Schambogen loc. cit.*

(o) *l. Quod sæpe. §. in his. ff. de Contr. empt.*

(p) *l. Si in emptione. §. penult. ff. de Contrah. empt.* q *l. Si fundus. ff. Locati.*

ditor moram in tradendo fecerit; mora enim nocebit moroſo. (*r*)

8*vò*. Si cauſa interitûs fuerit contracta ante venditionem. (*s*) Commodatarius itaq; Depoſitarius, Creditor qui pignus accepit, pariter & Conductor, de caſu fortuito non tenentur, ſi culpa non acceſsit. (*t*)

Quia Depoſitarius tenetur ſolùm de dolo & culpa lata. (*u*) Unde depoſitum factum ad commodum Deponentis, perit etiam periculo illius. (*x*) Si autem Depoſitarius non habet pecunias in cuſtodiam ſed in lucrum, ut participet tam ipſe quàm Deponens, tenetur de omni periculo, ſed intellige de depoſito in genere, non autẽ in certa ſpecie. (*y*)

[r] *l. fin. C. de peric. & Comm. rei vend.*

(s) *l. 1. C. de peric. & Comm. rei vend.*

(t) *Joan. Barcholten. in Comment. lib. 3. tit. 15. quibus modis re contrah. oblig. §. Præterea ad finem.*

(u) *Tuſch. concl. 205. ſub lit. D.*

(x) *l. 1. C. Depoſiti. Tuſch. concl. 204. loc. cit.*

(y) *Tuſch. concl 205. loc. cit.*

Pari

Pari modô non tenetur caſu fortuito Parochus, ut vaccas aut boves Eccleſiæ ad inventarium reſtituat, ſi bellô vel peſte ſublati ſunt. (z) Carcerum cuſtos, ſi ob incendium, ruinā carcerum, vel ob aliud ſimile periculum ſuccedat eruptio & fuga ſceleroſorum incarceratorum. (a)

Præfectus Gabellarum, ſi propter guerras, peſtem, vel alia pericula minus ad theſaurum importat. (b) Tutores & Curatores ſi res pupillorum aut minorum ignis ex improviſo abſumpſit. (c) Pater & Mater, & quilibet, rerum alienarum Adminiſtrator, non tenentur ad reſtitutionem, quæ caſu fortuito ſinè culpa perierunt. (d) Secus ſi hi & illi culpam ex ſe dederunt.

(z) *AA. ap. Carpſov. loc. cit. defin. 160. n. 2.*
(a) *l. fin. ff. de Cuſtod. & exhibit. reor.*
(b) *Menoch de Arbitr. Judic. caſu 80. n. 1.*
(c) *l. Tutoribus. C. de Pericul. Tutor.*
(d) *Arnold. de Reyger in theſaur. Jur. fol. 435. n. 6.*

Corol.

Corollarium 2dum.

TRibus ex causis tenentur contrahentes ad casum fortuitum. 1mo. Quando præcessit mora. 2do. Quando factum est pactum. 3tio. Quando culpa præcessit. (a) Quartum addunt Canonistæ, nimirum ratione æstimationis, quia si fortè res æstimata data fuerit, omne periculum præstandũ erit ab eo, qui æstimationem præstandã recepit. (b) Æstimatio autem hæc in contractibus, in quibus non transfertur Dominium fit propterea, ut sciatur pretium rei in casu, quo res illa periret, culpâ Commodatarii, vel Depositarii. (c)

(a) *Sylvest. v. Casus fortuitus. c. unico. De Commod. c. fin. De Deposit. Martin. ab Azpileveta in Manual. Confessar. cap. 17. pag. 417. n. 179.*

(b) *l. Sicut certo loco. §. Commodatum. ff. Commodat. l. Plerumq; interest. ff. de Jur. dot.*

(c) *Abb. in c. unico. de Consued. Sylvester v. Commodatum. q. 7. Filiuc. Morali Quæst. tract. 33. de Contr. in Comm. cap. 9. n. 142.*

Item ratione mercedis, qui enim mercedem accepit pro custodia alicujus rei, ejus periculum pro custodia præstet. (*d*)

Per moram obligatur quis ad restitutionem, etiamsi res pereat casu fortuito, modò res non esset etiam peritura apud Dominum: quando habens ad certum tempus rem alienam commodatam, illam in tempore præfixo non reddit, ac eandem casu fortuito deperit.

Per pactum obligatur quis ad restitutionem, si v. g. Titius curavit sibi equum commodari Venetias, ipse verò contra pactum cum Commodante initum & contra obligationem se contuiit in Moscoviam, ubi equus in flumine vel aliquo morbo periit casu fortuito. (*e*)

(d) *l. 1. ff. Deposit. Arnold. de Reyger loc. cit. in thesaur. Jur pag. 434. n. 1. & seqq.*

(e) *Rebellus lib. 1. de Contr q. 10. n. 6. Bonacin. de Commod. disp. 3. q. 1. punct. 6. prop. 4. n. 21.*

Per

Per culpam itidem obnoxium se quis facit casibus fortuitis, dum ex se aliquo modo præbet occasionem damni vel alicujus periculi. Quales culpas enumerat Azo octo: 1*mò*. sævitiã, ùt si sutor puero parùm benefacienti formâ calcei tam vehementer percussit cervicem, ut ei oculos effoderit. 2*dò*. imperitiam, ùt si quis sculpendam gemmam suscepit. & fœdè nimis sculpsit.

3*tiò* errorem, ùt si fullo pallium vilius pro alio pallio permutato alteri dederit. 4*tò*. negligentiã Conductoris, ùt si acceperit vestimenta servanda, & ea mures roserint. 5*tò*. deterioratione rei, ut si Conductor patiatur rem Locatoris deteriorari.

6*tò*. intemperantiam, ùt si cisiarius, idest carrucarius, dum cæteros transire contendit, cisium evertit, & hominem obvium occidit & quassavit. 7*mò*. conniventiam Conductoris, ùt

si

ſi exercitu veniente migravit de domo deinde milites ex hoſpitio feneſtras & omnia ſuſtulerunt.

8*vò*. Temeritatem Conductoris, ùt ſi conduxerit meas res navî vehendas, poſtea me invito navim aliorſum transtulit, & res meas in littore reliquit. (*f*) Et ſicut dolus malus præcedens caſum, caſu ſupervenienti non purgatur, (*g*) ita ſi culpa præcedens veniat vel cadat in moram, procul dubio poſt moram tenetur quis de caſu fortuito ſupervenienti. (*h*)

Quod ſi culpa præcedat, quæ in morã non cadat; ſi ea culpa non eſt ordinata ad caſum: ideſt ex qua non poſsit oriri caſus vel contingere, qui commiſit non tenetur ob eam rem de caſu. (*i*) Si autem ordinata ſit ad caſum, &

(f) *Azo in ſumma de Locat. & Cond. n. 26.*
(g) *l. Si Hæres dolo malo. ff. De Noxal. Action.*
(h) *Toloſſan. in Syntagm. Jur. univ. lib. 21. cap. 12 n. 5. fol 417.*
(i) *Toloſſ. n. loc. cit.*

 is

is ſequatur propter eam culpam, tunc de eo tenetur. (*k*)

At ſi culpa talis non ſit, quæ ſit ordinata ad caſum, qui contingit; *diſtinguit Bartolus*: an in faciendo, an non faciendo conſiſtit vel commiſſa eſt? Si *in non faciendo*, non tenetur quis de caſu ob culpam. (*l*) Si *in faciendo*, *diſtinguitur*; an factum non cadat *in delictũ*, ut tunc non teneatur de caſu. (*m*)

Aut ſi cadat *in dilectum*, num delictum committitur circa rem, aut circa caſum rei. Si enim culpa aut delictum cadat *circa rem ipſam*, tenetur qui in culpa de caſu fortuito poſtea eveniente. (*n*) Si *circa uſum rei*, contra ut non teneatur de caſu fortuito poſtea eveniente. (*o*)

(k) *l. Item Mela l. Qui occidit. §. In hac. ff. Ad legem Aquiliam.*

(l) *l. Et in totum. ff. de impens. in res dot. fact.*

(m) *l. fin. § 1. C. Ad l. Rhodiam. de jactu.*

(n) *l. ita vulneratus. ff. Ad l. Aquiliam.*

(o) *l. qui furtum. ff. De Condict. furtiv.*

Si

Si quis tamen periculo temere ſe objiciat, reus culpæ & debiti eſt. (*p*) Sicut qui dedit operam rei illicitæ, ad præſtandum caſum fortuitum tenetur. (*q*)

Et quamvis caſus fortuiti nemini imputantur, nec veniunt in conſiderationem: (*r*) non tamen liberationem debitoris auferunt; ſed licèt excuſent à pœna, non tamē ab obligatione, cùm fortuna adverſa ad alterius damnum conſiderabilis non ſit. Siquidem non omne habile ad impedimentum, dicitur eſſe habile ad dirimendum. (*s*)

Itaq; caſus fortuitus non liberat Debitorêm à ſolutione: (*t*) nam qui debet ex mutuo genus debet. Quod au-

(p) *l. cum duobus § damna & § quidam Sagariam. ff. De Socio. Toloſſ. loc. cit.*

(q) *Abb. in c. Joannes. De Homicid.*

(r) *Arnold. de Reyger loc. cit. fol. 438. n. 6.*

(s) *Vilchelm. Anton. de Freudenb. de Reſcript Mor. cap. 21. n. 8. & ſeqq.*

(t) *l. 11. C. Si cert. petat.*

tem in genere debetur perire non potest. (u) Etenim genera non sunt quid materiale, sed intellectuale, quod passionem non recipit. (x) Nisì cujus fuit oblatas pecunias accipere, ante recipere noluerit. (y) Unde eum, qui quid ad domum Creditoris deferre tenetur, proprio sumptu & periculô deferre tenetur non Creditoris. (z) Unde casibûs non excusari debitorē, reiq́; interitu neminem liberari ab implenda conditione. (a)

(u) *l. Quibus modis re contrab. oblig. Instit. lib. 3. §. 2. v. & is quidem. & l. Obligationes. § Et ille quidem ff. De Obligat. Molin de Usur. q 8. n. 134.*

(x) *l. Cùm quidam. C. De Conditionib. insert. ibi* = ut & libertas omnimodo competat, & commodum quod hæredi vel extraneo relinquitur non detrahatur. &c.

(y) *Arnold. de Reyger in thesaur. Jur. n. 8. in Additionib. & d l. Cùm quidam. C. De Condition. inser.*

(z) *Molin. de Usur: q. n9. 138. Arnold. de Reyger loc cit.*

a

(aa) *l. Cùm quidam, C. De Condition in sert. ibi*= sed in medio latronum, vel hostium incursione, vel alio fortuito casu peremptum est, quod portabat. quærebatur inter antiquos si præpediretur libertas, quia hoc dare servus non potest, propter memoratum fortuitum casum. Itaq; veterum dubietate quiescente, nobis placuit, ut & libertas omnimodo competat, & cōmodum, quod hæredi vel extraneo relinquitur, non abstrahatur. Ex quacunq; igitur causa impediatur, sive per hæredē, sive per eum, cui dare aliquid jussus est, sive per fortuitos casus, in libertatem quidem ipse omnimodo perveniat, nisì ipse servus noluerit adimplere conditionem: obnoxius tamen constituatur post libertatem hæredi, vel ei, cui dare aliquid jussus est (nisì & ipse oblatas pecunias non susceperit, quod enim semel repudiatum est ab eo, redintegrari minimè concedimus) quatenus hoc quod dare jussus est, omnimodo implere compellatur, vel ipso mancipio præstando si existat, vel in æstimatione ejus, vel in alia re, si & ipsa appareat, vel si non existat, vera ejus æstimatione præstanda.

Corol-

Corollarium 3tium.

CUlparum, quanquã sint variæ, tres tamen earum classes à Jureconsultis assignantur. *In prima classe* ponitur culpa lata, quæ aliter culpa latior, (*a*) magna culpa (*b*) culpa gravior (*c*) ignorantia deperditi luminis (*d*) à Jureconsultis appellata, accipitur vel pro negligentia summa, idest non adhibere in rebus alienis eam diligentiam, quam adhibet in suis: vel pro supina ignorantia, idest ignorare vel non observare, quod omnes in Civitate sciunt & intelligunt: ùt si hoc aliquis ignorat, quod publicè fit vel per sonum tubæ, vel per præconem, vel per edictum ad valvas templi, vel ædes Prætorii. (*e*)

(a) *l. Quod Nerva. ff. Deposit.*
(b) *Magna 226. ff. De Verb. signific.*
(c) *l. 54. §. 2 ff. De acquir. rer. Domin.*
(d) *l. 3. §. 2 ff. De Jur. & fact. ignorant.*
(e) *c. 1. de Postulat. Prælat. & l. Regula est. §. Sed facti. ff. De Jur. & fact. ignor.*

In 2da classe ponitur culpa levis, quæ consistit in eo: quando quis non adhibet eam diligentiã & custodiã in rebus alienis, quam diligens Paterfamilias adhiberet in suis; ùt quando Depositarius relinquit rem in camera cistâ non occlusa, quod diligens Paterfamilias facere non solet. (*f*) Unde culpa absolutè ab Authoribus prolata, de hac levi intelligitur (*g*) quandoq; tamen exprimitur culpa levis ad distinctionem latæ. (*h*)

In 3tia classe ponitur culpa levissima, quæ est non adhibere diligentiam tantã in rebus alienis, quantam adhibet diligentissimus Paterfamilias in rebus suis: ùt si quis rem alienã in cista vel cubiculo concludat, neq; tamen providendum facit, num cistæ aut cubiculi janua satìs clausa sit? & postea veniat fur, & rem non satìs conclusam subripiat. (*i*)

(f) *Consultation. Constit. Saxon. tom. 3. p. 4. de delict. q. 7.*

(g) *l. Si servus 108. §. Cum quid tibi ff. De Lagat. 2do.*

(h) *l. Cum res 47. §. Culpa. ff. De Legat. 1mo. Gonzales in lib. 3. Decret. 15 de Commod.*

(i) *l. Si Merces. §. Qui Columnã. ff. Locat*

Corollarium 4tum.

ALleganti damnum dolô vel culpâ alterius accidisse incumbit probatio, sicut & Creditori pignus sinè culpa deperditum, sicut aurigæ & tabellario rei vel literarum per aggressuram hostium, sicut pastori animantium de interventione alicujus casus.

Quod si casus regulariter solet fieri sinè culpa, ùt aggressus hostium, vis grandinis, fulminis, tunc tenens rem non tenetur probare culpam absuisse, modò casum probet.

Si verò casus absq; culpa non sit, ùt in incendio & furto, tunc allegans casum, & casum & culpam probare tenetur absuisse. (*a*) Si tamen Commodatario in via perit equus, alia via probatoria dirigenda est quando Conductori in via moritur: nam Commodatarius de levissima, Conductor tantùm de levi culpa tenetur.

(a) *dd. Consu'tat. Constit. Saxon. tom 3. p.4. de Delict. q. 7. n, 12. & seqq. Item n. 21. & 22.*

Corollarium 5tum.

QUoniam ex tribus causis tenetur quis ad casus fortuitos, nimirum ex pacto, culpa, & mora, quæ nihil aliud est: quàm delictum culpabile in solvendo debito vel recipiendo commissum, vel est tempus, in quo quis interpellatus scienter non facit, quod in eo facere tenetur. (*b*)

Ideo 1mo. ex mora præcedente casum fortuitum Debitor non reddens debitum stato tempore, sive à Creditore interpellatus fuerit, sive non.(*c*) Vicissim Creditor si à Debitore pecuniam debitam stato tempore oblatã recipere renuit. (*d*) Item Conductor non cedens de re conducta completo

(b) *Sylvest. v. mora in princ. except. ult. de Locat. DD. in l. Quod te. ff. Si certum petatur.*

(c) *Matthæus de Afflictis Decis. Neapolit. decis. 150. n. 3. & seqq.*

(d) *l. Qui decem. ff. De solution.*

in contractu tempore. (*e*) Item Commodatarius si rem commodatam non restituit. (*f*) Item Depositarius quod pecuniam non recepit, & depositum non extradidit ad requisitionem Repositoris. (*g*)

2*do*. ex pacto Commodatarius si aliter re usus, quàm ipsi concessa fuerat, v. g. si eqvum ad equitandum concessum aratro junxit, vel ad onera magna convehenda coégit, vel ipsum clam alteri ad ferenda onera commodavit &c. (*h*)

3*tio*. ex culpa Commodator si transmisit rem commodatam per Personã non idoneam. (*i*) Depositarius si habens

(e) *Mynsinger. in Scholiis ad Instit. de Locat. & Conduct. tit. 25. n. 5.*

(f) *Bassæus in Florib. Theolog. v. Commod. n.*

(g) *4. Rota in Fortunensi pecuniaria. 16. xbris 1603. ap. Farinac. decis. tom. 3. decis. 102. n. 4.*

(h) Bassæus *loc. cit. & l. Si ut certo, § Sed interdum. ff. Commod.*

(i) *Petrus Alagona in Collegio Juris Canon. cap. 1335. Gomezi tom. 2. cap. 3. n. 18. & Barbos. loc. cit. tit. 15. De Commod. n. 8.*

depoſitum, cuſtodem non reliquit domi, vel arcam non clauſit. (*k*) Viator quando commeavit per ſylvas inſolitas, ubi in latrones incidit. (*l*) Artifex, ſi ventus, mox poſt ædificationē domum male conſtructam evertit. (*m*) Medicus ſi per adverſa medicamenta ægrotum curat. (*n*) Procurator ſeu Advocatus ſi ſubtilibûs & periculosîs ſundamentîs utitur, ut videatur ſubtilis, & negotia periculoſa & inſolita gerit. (*o*) Sartor vel quiſpiam alius, qui locavit ſuas operas in conſuendis veſtibus vel aliis rebus faciendis. (*p*) Negotiorum geſtor, ſi à Principali ro-

(k) *Rota in Fortunenſi loc. cit.*
(l) *Surdus cons. 12. n. 30.*
(m) *Idem ibidem n 67.*
(n) *l. Si Medicus. ff. De Extraordin. cognition. Gratian. Diſcept. Foren. cap. 439. n. 17. & 18.*
(o) *l. Si Negotia. & ibi gl. ſit ſolitus. ad fin. ff. De Negot. geſt. Gratian. loc. cit.*
(p) *Coler. in Deciſion. Saxon. decis. 8. n. 19.*

gatus

gatus ut non ageret absq; ejus interventu, tamen egit inutiliter & cum damno (*q*) ad præstandos casus fortuitos, seu damna ex eis emergentia obligantur.

Excipiuntur ab hac obligatione Cedentes, Legantes, Donantes, quia totum periculum casuum fortuitorum Cessionarios (*r*) Legatarios (*s*) Donatarios & Emptores (*t*) ex ratione cessi & translati in se Dominii afficit.

In Materia tamen Emphyteusîs casus fortuitus cedit Emphyteutæ. (*u*) In materia fidejussionis casus inopiæ fidejussoris cedit debitori non creditori. (*x*) In materia feudali casus for-

(q) *Filiucius Moral. quæst. tract. 39. cap. 5. de negot. gest. n. 4.*

(r) *Cardin. de Luca tract. de Regal. disc. 22. n 2. Berlich. decis. 290. n. 14.*

(s) *DD. in l. Si ex legati Causa. ff. De verbor. obligat. Cardin. de Luca loc. cit.*

(t) *Farinac. q. 169. n. 12.*

(u) *Surdus decis. 198. n. 8. & cons. 597. n. 8.*

(x) *Surd. cons. 18. n. 5.*

tuitus

tuitus dimiſsionis armorum & rerum in bello adjuvando Dominum cedit Vasallo. (*y*) In materia ſocietatis caſus amiſsionis animalium vel aliarum rerum in ſocietatem datarum, cedit omnibus ſociis. (*z*) In materia ſtipulationis nō referuntur caſus fortuiti inſoliti ad ſtipulantes. (*aa*) In materia commixtionis caſus fortuitus nihil operatur. Nam ex commixto per caſum fortuitum frumento, ſi ſeparari poteſt, uterq; Dominus ſuum recipiet; ſi non poteſt, frumenta communia fient. Si verò dubium ſit, quantum quisq; in acervo habuerit de ſuo frumento, competet communi dividundo. (*bb*)

(y) *DD. in c. Sicut & infra. De Jujurerand.*
(z) *Filiuc. Moral Quæſt. tract. 38. cap. 5. n. 91.*
(aa) *Toloſſan. in Syntag. Jur. lib. 4. cap. 26. n. 8.*
(bb) *Myuſinger. loc. cit. tit. 1. de rerum divis. §. Quod ſi frumentum. n. 7.*

Concl:

Conclusio IV.

SUpervenientia casuum fortuitorum, unius sive plurium, est ratio causativa remissionis pensionum alterutri contrahentiũ, (a)

(a) *l. Ex conducto.* §. *Competit autem.* §. *Si vis tempestatis. gl. in l. Si uno Anno in princ. l. Si Merces.* § *Vis major. l. Qui operas. ff. Locat. l. 1. C. De Jure Emphyteut. gl. in l. Licet. C. De Locat. & Conduct. l. Fistulas. ff. De Contrahen. emption. l. Omnes. 6. C. De Metatis. c. Propter sterilitatem. De loc. & Commod. Rodoan de reb. Eccl. non alienandi q. 73. cap. 1. n. 1. & cap. 2. n. 2. & seqq. Gratian. Discept. Foren. cap. 195. n. 18. Vivius Decis. Neapolit. decis. 1. n. 4. Surdus cons. 34. n. 1. Anton. Thom. Schiara Theologiæ bellicæ lib. 7. pag. 168. n. 32* Et probatur ex Bulla Pii V. Annô 1569. die 29. Januarii Romæ publicata, ibi = *Postremo Census omnes in futurum creandos non solùm re in totum vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum vel pro parte effecta volumus ad rathã perire.*

Item

Item Conſtit. Regni An. 1562. fol. 22. tit. o Luſtrácyi, ibi = *Kwarta z Dobr Krolewſkich czáſem ma bydź większa, czáſem mnieyſza, ieżeliby zá iákim przypadkiem pożytkow Koronnych umnieyſzyło ſie.* Et Conſt. An. 1564. fol. 71. tit. Uniwerſał. §. Wśi ſpuſtoſzáłe. ibi = *Wśi od czterech lat ſpuſtoſzałe álbo pogorzáłe, płáćić poboru nie máią.* Et Conſt. An. 1569. fol. 188. §. Ciż Luſtrátorowie. ibi = *Luſtrátorowie* caſus fortuitos *máią moc inkwirowáć, y ná Seym donieść, á tám co ſie godźić będźie, zdefalkuie ſie.* Et Conſt. An. 1611. fol. 45. tit. Odpuſzczenie ſummy. ibi = *Ponieważ Urodzony Konrad Bremer z Arendy Cłá w W. X. L nie wyſzedł ná ſwoie, y defekty w Arendźie ſwey ukazał, tedy mu* condonatur *19000. Zł. od ktorych zápłacenia wolnym* declaratur. Et Conſt. A. 1616. fol. 11. tit Inkorporácya Młynow. ibi = *Mieſzczánie Káliſcy lubo powinni dáwáć co Rok do Zamku Káliſkiego 700. Zł. iednák máią* exceptos caſus fortuitos, *iáko to: pogorzenie, powodźi, powietrze y tym podobne, dla ktorych przypadku do wyliczenia tákiey ſummy* non tenentur. Et Conſtit. An. 1635. fol. 25. tit. Pogłowne Zydowſkie. ibi = *W wybieraniu pogłownego z Zy-*

dow

dow W. X.L. ma bydź baczenie ná pogorzelce. Et Conſt. An. 1647. fol. 42. tit. Czopowe. ibi = *Libertácya pogorzelcow,* ſic declaratur: *ieżeli pogorzelec ná pogorzeliſku ſię funduie y ſzynkuie, wolny ma bydź od podatku.* Et Cōſt. A. 1654. fol. 21. tit. Prowiant Kámieniecki. ibi = *Iż nieprzyiaćiel kupiony prowiant zá 3900. Zł: zábrał, záczym ná tey ſummie Urodzony Marćin Liniewſki, Łowczy Bráciáwſki Prowiant Mágiſter ſſkodowáć nie ma.* Et Conſt. An. 1655. fol. 17. tit. Czopowe W.X.L. ibi = *Czopowe Koronne bez wſſelkich defalkat ma bydź wypłácone, iednák cále ſpuſtoſſonym, ſtrzeż Boże, przez powietrze, lub nieprzyiaciela y iáka znáczna dezolácya ma ſłużyć defalkácya.* Et Conſt. ejusdem Anni 1655. fol. 28. tit. Reſtytucya. ibi = *Miáſtá Belſkiego Wdztwá nie mogą ſię záſtáwiáć libertácyámi od Czopowego, od ktorego wolnemi bydź nie máią,* exceptîs conflagratîs. Et Conſt. An. 1658. fol. 33. tit. Uwolnienie od długow. ibi = *Wielmożnemu Ierzemu Chlebowiczowi, Stároście Zmudzkiemu,* intuitu *ſrogiey dezolacyi Dobr ſwoich przez nieprzyiacioły uczynioney* cōdonatur *donatywá ſympla z Dźierżáwiego.* Et Conſt 1699 fol. 47. tit. Hiberna. ibi = *Dla pozomnieyſſey dyſtrybuty Chlebow zimowych, y wybierania ich* deſignantur Commiſſarii, *ná ktorey kommiſſyi* caſus fortuiti *iść máią.* Et Conſt. A. 1717. fol. 67. tit. Applicatio remamentu. ibi = *Dobrá niektorych przez nieprzyiaciela ſpuſtoſſone* liberantur *od podatkow do piąciu lat.*

Corol-

Corollarium 1mum.

QUoniam in materia locationis, aut alterius cujuslibet concessionis in rebus est materia frequentissima, quia ùt plurimùm res locantur, censuantur, hypothecantur, emphyteuticantur, infeudantur, aut similibûs titulîs conceduntur, & propter sterilitatem aut alias, multipliciter in hujusmodi rebus sic concessis damnum & jactura contingit, propter quod Conductoribus seu Cessionariis venit facienda restauratio & resarcimentum, ideo non erit ab re aliquid dicere de remissione mercedis, quomodo, quando, quibus & à quibus sit facienda. (*a*)

Quare remissionem mercedis fieri aliquando in parte, seu pro ratha, aliquando in toto: re in totum vel pro parte perempta, aut infructuosa in

(a) *Franc. Vivius in decision. Regni Neapolit.*

totum vel in parte effecta. Quod etiam in emphyteusi observatur, ubi Conductori fit remissio, si res in totum pereat. (*b*) Et sic, si morbo fortuito advenienti equus conductus impeditus sit, quo Conductor uti nō posit aliquo tempore notabili, debet absq; scrupulo remissio mercedis illi præstari à Locatore pro ratha temporis, quo uti equô nequivit. (*c*) Aut si fundus circumciditur corrusione, tunc diminutionem pensionis fieri pro ea parte destructa;

(b) *d. Bulla Pii V. An. 1569. die 29. Januar. Romæ publicata Et Bulla Callixti III. Papæ, quæ reperitur in Extravag. Commun. tit. de empt. & vend. cap. 2. Et Constit. An. 1677. fol. 10. tit. Deklarácya Kwarty.* ibi = Stárostowie z Dobr w Powiátách Trębowolskim, Krzemienieckim, Zydáczewskim y w Ziemi Háłickiey penitus zruynowánych, dáć Kwartę ad rationem máią, á gdźie nie dośięgłá, *totum prævio juramento. Tusch. concl. pract. concl. 615. n. 36. sub lit. C.*
(c) *Vivius Decis. Neapolit. decis. 1. n. 4.*

non

(*d*) non enim dicuntur bona, quibûs uti aut frui Conductor non poteſt. (*e*) Aut ſi Colonus nihil perceperit, nihil ſolvat, facta remiſsione in totum vel in partem, nisì ubertate præcedentis vel ſequentis Anni poſsit compenſari ſterilitas. (*f*)

Quod etiam obſervandum in re locata ab aquis ſubmerſa, ita ut ad uſum deſtinatum deſervire non poſsit, tunc enim fit Conductori remiſsio mercedis pro ratha rei peremptæ. (*g*) Et re-

(d) *Marius Giurba obſerv. 24. n. 9.*

(e) *l. vel inutilem. ff. De Uſufructu.*

(f) *gl 2. inc. Propter De Locat. & Cond.*

(g) *Paleot. decis. 539 n. 2. & ſeqq. part. 2. lib 3. divers.* Et Coſtit. An. 1676. fol. 38. tit. Kommiſſya ibi = *Deſignantur Commiſſarii do Oekonomii Nowodworſkiey przez zerwánie grobel y wylewy zruynowáney, áby uználi ruiny, y wiele ma bydź deceſſu ná Kwarcie decydowáli.* Et Conſt. An. 1677. fol 36. tit. Wśi Záiączkow ibi = *Poddáni Krolewſcy przez exundácyą wod znieśieni od Hiberny do lat ſześćiu liberantur.*

gulatur, quòd re in totum vel pro parte perempta fiat mercedis remissio non facta compensatione cum Annis fertilibus, quia Dñus non potest præstare, quòd Conductor utatur re conducta. (h)

Et ubicunq; Conductor non potuit uti & frui parte rei locatæ factô alterius, quàm Locatoris, tenetur Locator diminuere pensionem pro rata. (i) Pariter si non potuit uti re locata vel illius parte factô Locatoris potest petere damnum & interesse (k)

Hinc ille, qui operas suas locavit, si propter infirmitatem aut aliud impedi-

(h) *l. Si quis domum. §. fin. l. si quis fundum §. Imperator. l. Sed addes. §. Si quis cum in Annum. l. Ex conducto. in princ. & in §. Si vis tempestatis. ff. Locat. Bartol. in l. Si Merces. §. Vis major. ff. Locat. Petr. Rudolphin. in praxi Judic. part. 2. cap. 13. fol. 461. n. 101 & 102.*

(i) *Tuch. concl. pract. concl. 615. n: 21. sub Lit. C.*

(k) *Tuch. loc. cit. & l. ex conducto in princ. ff. Locat.*

men

mentum operas suas non præstiterit, totam mercedem perere potest. (*l*) Similiter Medici, Advocati, Consiliarii, famuli & cæteri, si per eos non steterit, quominus causam agant, honoraria reddere non debent. (*m*)

Nec obstat, quòd in locatione rerum si Conductor nullam recipiat utilitatẽ, non teneatur mercedem solvere. Nam in locatione rerum merces præcisè datur propter fructus vel utilitatẽ actualiter percipiendam, in locatione autem operarum seu factorum merces etiam datur pro ipsa obligatione deserviendi; & quòd v. g. Advocatus, Medicus, si Conductor ejus operâ indiguerit, & ipse eam præstare possit, præstare omnino teneatur. (*n*)

(l) *Ludov. Engel. lib. 3. tit. 18. de Locat. & Cond. q. 5. n. 8.*

(m) *l. Qui operas. ff. Locat. l. Præses. Provinciæ. §. Divus Servus. ff. De extraord. cognit. l. post duos. C. De Advocat. divers. Judic. Gail. lib. 1. obser. 44. n. 12.*

(n) *Ludov. Engel. lib. 3. tit. 18. De Locat. & Cond. q. 5. n. 8.*

Corol.

Corollarium 2dum.

REmisſio penſionis fit *imò.* propter ſterilitatem: modò veniat per vim cui reſiſti non poſſit (*a*) Et non tantũ omnes caſus Divina vi supervenientes in remisſione facienda tenetur Dominus & Locator præſtare Colono, (*b*) ſed etiam vi humana accidentes, quales ſunt incurſus hoſtiles; (*c*) quia omnis vis, cui reſiſti non poteſt, parit caſum remiſsionis faciendæ & petendæ. (*d*)

Cæterùm qui ſterilitatem allegat, debet illam probare: probatur autem *tum* per communem vulgi opinionem

(a) *text. in l. Ex Conducto. §. Si vis. ff. Locat. ibi* = omnem vim cui reſiſti non poteſt, Dominum Colono præſtare debere Servius ait.

(b) *gl. in l. Damnum. C. De Locat. & Cond.*

(c) *d. l. Ex Conducto. §. Si vis. ff. Locat.*

(d) *Rodoan. de Reb. Eccl. non alienand. q. 73. cap. 3. n. 3.*

& famam, ùt quia eſt communis opinio, quòd illo Annô fuerit ſterilitas. Sterilitas quippe cauſativa remiſsionis reſultat ex vulgi opinione, juxta alios ſi ſemen non recolligitur. (*e*)

Tum quando res conducta non dat dimidiam partem fructuum, quos dare conſueverat. (*f*) *Tum* quando ultra expenſas nihil percipitur de fructibus, ſeu quando detracto ſemine & expenſarum æſtimatione non ſufficiat ſolutioni dimidiæ ſaltim penſionis: (*g*) ùt ſi v.g. ſolvendi ſunt 10. modii pro penſione, & fructus detracto ſemine & expensîs ſunt minus quàm quinque; tunc reliqui usq; ad 10. ſunt dimittendi pro penſione, & ſolùm ſolvendi illi minùs quàm 5. Si verò maneant 5. mo-

(e) *Idem loc. cit. cap. 1. n. 7.*
(f) *Caſtilius Jur. Controver. lib. 3. cap. 3. n. 36. Marius Giurba obſer. 24. n. 4. & ſeqq.*
(g) *Idem Marius Giurba loc. cit. n. 1. & 2.*

dii

dii vel plures, nihil remittetur, quia censetur modica sterilitas. (*b*)

Attendendum enim est in sterilitate damnum intolerabile, quod tunc est, quando cum mercede contingit deceptio ultra dimidiam, ùt cùm pensio est 20. & non recollegit nisì 8. vel 9. unde solvendo haberet damnum 11. quod est ultra dimidiam. Idem si in dimidia: ut si recolligeret 10. quia damnum pateretur in dimidia.

Cujus rei ratio habetur in *l. Licet. C. de Locat. & Cond. ibi = rationem tui juxta bonam fidem haberi postulabis:* quia bona fides non patitur integram pensionem solvi existente magna fructuum diminutione, quam in constituenda pensione is non consideravit, sed fructus perceptos. Æquum ergo est ea bona fide inspectâ remissionem

(b) *Mascard. de Probation. concl. 1339. n. 3. & seqq. Covarruv. in pract. quæst. q. 30. Molin. disp. 496. Filtucius tr. 36. de Contract. onerus cap. 3. n. 51.*

pro

pro ratha concedere. Atqui si ex sterilitate nulli percepti fructus sunt, tunc omnis pensio remittitur. (*i*) Ea enim contemplatione conducta res fuit, si fructus nascantur, ergo sublatô emolumentô cessat onus. (*k*)

Unde sicut in emptione deceptio ultra dimidiam rescindit, ita & in locatione fieri debet remissio, ut non solvat, nisì quod recollegit, & residuũ remittatur. Si autem recollegit ultra 10. vel ultra dimidiam puta 12. tunc solvit totam pensionem & patitur damnum de 8. quæ non sunt dimidia, nec ultra dimidiam. Unde dicitur potiùs exiguitas quàm sterilitas,& tale damnum pertinet ad Conductorem,& nihil debet diminui de mercede. (*l*) Et sterilitati

(i) *l. Ex Conducto* §. *1. ff. Locat.*

(k) *l. ab eo. C. De fidei comm. l. Sed & sic. ff. De Legat. 3tio. Marius Giurba loc. cit. n. 4. & seqq.*

(l) *Abb. in c. Propter De Locat. opin. 3. n. 13. Rodoan. loc. cit. cap. 1. n. 11. & 15. & cap. 2. n. 2. 3. & seqq.*

Anni

Anni non obest, si non venit damnum intolerabile, puta quia uno annô nihil in frumento collectum est, in oleo autem vel aliis fructib9 suppletũ sit. (*m*)

Nec remissio debetur pro quolibet damno, aut pro qualibet exiguitate: quia ut detur, damnum debet esse intolerabile, & exiguitas fructûs debet esse tanta, ut Conductor magnô incommodô afficiatur. Ideo non satis est pro verificatione sterilitatis causativæ remissionis ut damnum sit in dimidia tantùm, sed imò opus est, ut sit in aliquo ultra dimidiam. (*n*)

Verùm si ex sterilitate eveniat damnum magnum & intolerabile, quidam Judicis arbitriô decidendum esse volunt: (*o*) qui quidem Judex inspecta

(m) *gl. in l. Divortio ff. Solut. Matrim. Rodoan. loc. cit. cap. 2. n. 6 §. Et secundum.*

(n) *l. Rem majoris pretii. C. De Rescind. vendit. Rodoan. loc. cit. cap. 2. n. 2. & seqq.*

(o) *Mascard. observ. 1339. n. 7.*

fructuum

fructuum perceptione, eorumq; valore ac personarum qualitate, de sterilitate judicabit.

Cæterùm verior censetur opinio, quòd illud damnum dicitur intolerabile, si dimidium pensionis excedat sterilitas vel damnum computatîs totius anni fructibûs. (*p*) Non semper tamen ob casum fortuitum sterilitatis debetur remissio pensionis; ut potè si inter Locatorem &Conductorem sit conventum: quòd propter sterilitatem non teneatur aliquid præstare Dominus. (*q*) Aut quando sterilitas contingit culpâ & defectu Coloni: non est enim æquum, damnum, quod culpâ Conductoris venit, id à Locatore præstari. Culpâ verò Conductoris fit sterilitas, si agros non coluit, non instercoravit, non debito tempore seminavit, semen ineptum jecit. &c. (*r*)

(p) *Mar. Giurba obser. 24. n. 7. Surd. cons. 34.*
(q) *l. Licet. C. De Locat. & Cond.*
(r) *Rodoan. loc. cit. cap. 2. n. 1. & seqq.*

Aut si Colonus permisit agros incultos sinè cultura jacere annô sterilitatis; nam potest dici sterilitatem intulisse, cùm non fuerint percepti fructus, ex quo agri inculti jacuere. (s) Aut quando fit compensatio cum ubertate praecedentis vel subsequentis anni, quando proximè praecedens vel subsequens annus habuit ubertatē. (t) Aut si Conductor allegat fructuum vilitatem, ùt quia parum valeant, licèt sint in magna copia percepti; & eo casu frustra petit remissionem, quia tunc non potest dici fuisse sterilitatem, sed potiùs fertilitatem & abundantiam.

Idem erit: si petat sibi remitti allegando fructuum viliositatem; ùt quia non sunt ita boni, quàm esse consueverant, ùt quia forsitan vinum est magìs acerbum, quàm esse consuevit:

(s) *l. Ex conducto. §. Cum quidam. ff. Locat.*
(t) *text. in c. Propter sterilitatem. De Locat. & Cond.*

frumen-

frumentum non est fortè ita multum, sicut esse consuevit, vel malè granitum; & tunc pariter non potest peti remissio. Idem: si Conductor alleget fructuum paucitatem, & tunc si paucitas non est tanta, quæ inducat sterilitatem, vel quia cariùs vendi possunt frumenta, non conceditur ei remissio.

Nec pari modô datur remissio si sterilitas aut alii casus fortuiti eveniant consueti, de quibus pars verisimiliter scivisse potuit; ùt evenit in Lombardia, ubi grandines quovis anno fiunt solitæ, ideo non fit remissio propterea, quia sæpe accidunt. Nec minùs ei debetur remissio si Conductor allegat fructuum vitiositatem, ùt quia fructus percepti sunt corrupti: cùm enim fructuum perceptorum acquisivit proprietatem, acquisivit etiam & eorum periculum. *(u)* Aut si Conductor renuntiaverit casibus fortuitis,

(u) *Rodoan. loc. cit. cap. 2. n. 13. & seqq.*

&

& tunc non fit remiſsio propter ſterilitatem; nisì perempta fuerit ſubſtantia rei: quia tunc excuſatur Conductor à ſolutione penſionis, etiam quòd ſuſceperit in ſe caſum fortuitum. (x)

Sed ſi Colonus ſit partiarius, ſcilicet: qui habeat fructus ad partem, & qui recipit fundum colendum ad medietatem fructuum, num Dominus fundi teneatur ei ad remiſsionem ob ſterilitatem? Et reſpondetur negativè, quia tali nulla debetur remiſsio, ſed tenetur præſtare medietatem fructuũ tempore ſterilitatis, ſicut tempore fertilitatis. (y) Tunc enim tã Locans, quàm Conducens pro ratha ſua portabit onus, quia inter eos quodammodo in fructibus percipiendis eſt contracta

(x) *Rota in Ravenaten. Pineti. 18. Martii 1619. coram bon. mem. Patriarcha Manzanedo, & Barbos. in Collect. DD. in lib. 3. Decretal. De Locat. & Cond. fol. 137. & ſeqq. à n. 8.*

(y) *l. Si merces. §. Vis major. ff. Locat.*

quaſi

quasi quædam societas. Et inter Colonum partiarium seu mediariũ & Dominum non est propriè locatio sed societas: quia Dominus ponit terram, alius in quærendis fructibus operã. (z) In remissione autem pensionis ex ratione bonæ fidei tenendum est tempus, non contractûs initi, sed tempus recollectionis fructuum. (*a*) Et defalcum non petitur nisì in fine aspaltûs, quia anni uberes possunt compensare damnum primô annô contingens. (*b*) Sperari autem certo certiùs potest compensatio ex eo: quia natura uno annô avara, in altero nimiùm liberalis & prodiga esse solet. (*c*)

2*dò*. Remissio pensionis fit propter bellum. (*d*) Et multò magìs quando

(z) *Rodoan. loc. cit. cap. 2. n. 9.*
(a) *Idem loc. cit. n. 11.*
(b) *Card. de Luca de Regalib. disc. 134. n. 16.*
(c) *Idem loc. cit. n. 19.*
(d) *l. Ex conducto. §. Si vis. ff. Locat. Rubeus cons. 153. Vessembec. de Regalib cons. 45. n. 51.*

fuit

fuit expreſsè proviſum, quòd fieret remiſſio propter bellum: quia tunc ex omni cauſa, quæ proveniat ex bello, debet fieri remiſsio, nam cauſa cauſans eſt cauſa cauſati. (e) Et non tantùm propter bellum, ſed etiam propter juſtum timorem belli, quando homines non accederent tuti ad arandum. Excuſatur enim tunc Conductor, quia non potuit agros colere, ſeminare, & non tenetur ſolvere afflictus. Quod etiam procedit de incurſu hoſtium, ob quem fit Conductori remiſsio: (f) idq; pro quantitate fructuum, quòd percipi non potuerunt iſto caſu. (g)

Sed ſi bellum erat tempore locationis, communis eſt concluſio, quòd

(e) *Tuſch. concl. pract. concl. 615. n. 2. ſub lit. C.*

(f) *Tuſch. loc. cit. n. 3. & n. 15. 16. l. ex conducto. §. 1. ff. Locat.*

(g) *Tuſch. loc. cit.*

non

non ſit remiſsio propter bellum: quia imputandum eſt Conductori, qui ſcivit ſtatum & conditionem rei, & vidit periculum imminere, nihilominus conduxit; unde non excuſatur à ſolutione penſionis, neq; datur reſtitutio in integrum. (*h*) Nec obſtat: quòd propter ejusmodi bellum & propter defectum animalium prædia non potuerunt coli, & ſic ex caſu fortuito ſit facienda remiſsio penſionis. (*i*) Et ampliatur: ſi bellum non eſſet tempore còntractûs inchoatum, ſed dubitaretur de eo; (*k*) quia bellum præviſum culpæ adſcribitur. (*l*) Et quando

(h) *arg. l qui bona fide. §. de illo. ff. De damn. infect. l habitatores. §. fin. ff. Locat. Ripa de Privil. contr. cau. peſt. n. 44. Decius cons. 312. prope finem. v. Et ſicut non debet. Tuſch. loc. cit. n. 18.*

(i) *Covarruv. pract. Quæſt. q. 30. Rota in Pi entina Affictûs 19. Martii 1583.*

(k) *Matthæus de Afflictis decis. 365. n. 8.*

(l) *Bald. in §. Vaſalli n. 1.*

damnum evenire ſolet, & poteſt præviderí non fit remiſsio. (*m*)

Neq; tunc fit remiſsio Conductori, propter caſum, bellum, vel peſtem, quando penſio ſolvitur non ex fructibus, nec commenſurata ad fructus. (*n*) Aut quando Conductor tacuit, quòd re locata non potuit uti, & ſolvit usq; in finem locationis: quia debuit ab initio proteſtari, quòd recedet, nisì fiat remiſsio. (*o*) Aut quando fructus pendentes non ſunt ablati, ſed ſunt ablati quando ſunt ſeparati à ſolo quia tunc non fit remiſsio propter bellum, eſt enim periculum Conductoris, cujus fructus à ſolo ſeparati efficiuntur; veluti ſi vinum in vaſis, aut granum in area vel horreo exiſtens auferatur. (*p*)

(m) *Tuſch, loc. cit. n 32. & l Si quis domum §. idem quæſitum ibi* = quia hoc evenire poſſe.

(n) *Tuch. loc. cit. n. 33. Alex. cons. 112.*

(o) *Tuch. loc. cit. n. 40.*

(p) *l. damnum. C de Locat. & Conduct.*

3tiò

3*tiò*. fit remiſsio penſionis propter rei interitum fortuito caſu contingentem, ſeu quando perit ſubſtantia rei conductæ. (*q*) 4*tò*. propter inundationem, modò non ſit ſolita; ùt ſi fundus conductitius ab aquis ſubmergitur. (*r*)

Sic Conductori prati fit remiſsio propter inundationes aquarum tempore fœni, quia ſi fuit cœnoſum, quod pecora non poſſunt comedere, hoc probato fit remiſsio, quia caſus fortuitus ad locatorem ſpectat. (*s*) Nihilominus penſionis defalcum ſeu remiſsionem non poteſt Conductor ob inundationem contingentem petere, qui conduxit bona prope flumen. Sicut nec qui conduxit tempore belli & peſtis ad damna inde provenientia. (*t*)

(q) *l. Si merces. §. Vis major. ff. Locat. & Tuſch. loc. cit. n. 23.*
(r) *Surd. decis. 326. n. 55.*
(s) *Gratian diſcept. Foren. cap. 195 n. 18.*
(t) *Card. de Luca de Regalib. diſc. 118. n. 10.*

5tò. Ex culpa Locatoris. *(u)* 6tò. Ex facto Principis, ùt si quis carô pretiô conduxit domum ad annum ob residentiam Regis, tandem Rex peractô trimestrî residentiam aliò contulit; debet illi esse remissio non obstante eo, quòd fuisset conventum: quòd remissio aliqua ex causa peti non possit; cùm illa spes residentiæ fuisset causa finalis conductionis pro tali mercede. (x) 7mò. Ob usum rei impeditum, quando Conductor aliquo casu non potest uti re conducta; nec juvat quòd Locator dicat: per me non stat. (*y*) Quod accidit: quando fundus ab hostibus in bello est occupatus. Item qnando ager corruit terræ motu. Item quando res vi fluminis ita occupatur, ut coli non possit. Item quando domus ac etiam balneæ sunt conbustæ.

(u) *Marius Giurba obser. 24. n. 11.*
(x) *Idem loc. cit. & Tusch. loc. cit. n. 9.*
(y) *Natta cons. 284. n, 10.*

Item

Item quando hostis domum vel agrū recipit in suum Dominium jure belli. (z) 8vò. Ex facto tertii, ùt si Conductori accidat casus fortuitus & damnū ex eo emergens, v.g. ex bello evenienti, quòd alter Principum rupit pacta & bellum indixit; tunc temporis cùm infertur damnū factô tertii scilicet Principis, cui Locator resistere non potuit, remittitur pensio pro ratha. (a) 9nò. Propter præstationem metatorum idest hospitiorum, quæ militibus præbentur. Sicut enim præstatio metatorum inter casus fortuitos numeratur, ita concluditur Conductorē omnes sumptus horum nomine factos à Locatore repetere posse. (b) 10mò. Quando fructus jam collecti positi in fundo vel in area pereunt casu fortuito, antequam potuerunt commodè recondi in domum, tunc est

(z) *Surdus decis. 326. n. 57. & seqq.*

(a) *l. Si fundus. ff. Locat. Surd. decis. 326. n. 15. & 16.*

(b) *l. Omnes. C. De metat. Christoph. Richters part. 2. decis. 18. n. 14.*

facienda remifsio, perinde acfi fuiffet fterilitas. (c) Plurima enim requirũtur, ut cafus fortuitus inducat remifsionem: puta quòd fit cafus infolitus, qui afferat magnum incommodũ, qui contingat ante feparationem fructuũ à folo; & quamvis fuerint feparati à folo, fed non portati domũ: ùt fegetes in paleis fi ignis eft immiffus & omnes abftulit. (d)

Remiffio autem facienda eft Conductori pro quantitate fructuum non verò damni v. g. Conductor per 6. menfes propter bellum non potuit uti re locata, licèt perdidiffet plusquam importet totum pretium, tamen non debet fieri remiffio nisì pro rata habito refpectu ad omnes fructus, computatô eô quod recepit, aliàs remiffio effet iniqua & captiofa. Quare fi quis conduxit gabellas v. g. communis Perufii pro certo pretio, & commune ex caufa extinguat tertiam partem gabellarum, remiffio debet fieri tertiæ partis affictûs, non autem illius fummæ, quam exegiffet Conductor pro illa tertia parte liberata. (e)

(c) *Filiuc. tr. 36. de Contr oner. cap. 3. n. 51.*
(d) *Rodoan. loc. cit. cap. 1. n. 16.*
(e) *Bald 329. & 465. Tuch. loc. cit. concl. 616.*

Corollarium 3tium.

REmiſsio mercedis regulariter debetur Colono per Dominum propter omnem caſum evenientem, cui reſiſti non poteſt. (*a*) Hanc autem remiſsionem Colono intelligi in fructibus pendentibus, qui ſpectant ad Dominum, & pro quibus tenetur ad mercedis præſtationē; non verò in recollectis & à ſolo ſeparatis, qui ſunt Coloni, & pro quibus Dominus nullum ſubire poteſt periculum remiſsionis. Quod expreſsiùs enuntiat *Baldus in l. Dominum. C. De Locat. & Conduct.* quòd ibi damnum accedit in rebus Coloni meritò, ſi à Domino pro dicto damno non fit remiſsio, quia fructus pendentes Domini ſunt. (*b*) Et ideo ſi Colonus fructus percepiſſet, & eodem caſu amiſiſſet eos, non fieret remiſsio: quia damnum contigiſſet in rebus Coloni;

(a) *l. Ex conducto. §. Si vis. ff. Locat.*
(b *l. Si apes. §. 1. ff. De Furt.*

jam

jam enim fructus sui facti sunt. (c) Sed donec pendent in agro, damnum contingens in eis, contingit in re Domini, & ideo nocet Domino. (d)

Item debetur remissio Conductori in illo anno, quô est sterilitas secundùm vulgi opinionem: (e) sed si sinè culpa ipsius casus fortuitus damnum intulit. (f) Secus si culpa illius praecedat: puta si Conductor non solveret decimas; quia praesumitur, sterilitatē obvenisse ob iram Dei, (g) non est facienda remissio Conductori. Et ideo inquilinus, in cujus domo pestis tantùm irrepsit: si est vir sceleratus, usurarius, sodomita, aut aliàs naturâ vitiosus

(c) *l. Si servus 61. §. Locavi. ff. De Furt.*
(d) *Rodoan. de Reb. Eccl. non alien. q. 75. cap. 1. n. 13.*
(e) *l. Si uno Anno. in princ. ff. Locat. Rodoan. loc. cit. cap. 1. n. 1.*
(f) *Surd. cons. 34. n. 1. Tuschus sub lit. C. concl. 615.* (g) *can. Revertimini 16. q. 1.*

non

non meretur beneficium remiſsionis; (*h*) aut quando decimæ non ſoluuntur ex conſuetudine. (*i*)

Verùm ſi Conductor lege Contractûs ſuæ conductionis obligavit ſe præſtare caſus fortuitos in præjudicium petendæ remiſsionis, non tenetur indiſtinctè præſtare omnem caſum, nec ad omnes caſus præſtandos eſt obligatus. Quia ſi quis ſuſcipiat in ſe caſum fortuitum præſtandum, & caſu eveniente rei ſubſtantia deficiat, ex tali obligatione non remanet Conductor obligatus: (*k*) etenim remiſsio fit Conductori, etſi ſuſcepit omnes caſus fortuitos, quando perit ſubſtantia rei conductæ. (*l*) Cujus ponit exemplum *Baldus loc. cit.* de molendino conducto in flumine Tiberis, quod impetu fluminis fuit deſtructum, pro quo petitur per

(h) *Ripa tract. de peſt. n. 34.*
(i) *Rodoan. loc. cit. cap. 3. n. 7.*
(k) *Bald. in l. Licet. C. De locat. & conduct.*
(l) *Surd. decis. 326. n. 55.*

Loca-

Locatorem pensio: quia licèt Locator contra Conductorem negantem se teneri, quia fluminis impetu periit & est destructum, replicet hoc nihil esse; quia scire debuit fluminis Tiberis naturam & vitium loci, quia in arena erat locus mobilis aptus ruinæ; tamen quia schasma est in substantia rei conductæ, dicit non teneri: quia pro re, quæ non est, non debetur pensio vel merces aliqua. *(m)*

Parî modô Conductor ad præstationem casûs fortuiti non tenetur: si casus venit culpâ Domini vel Locatoris; & culpa dicitur, sivè factô injustô adversarii, sivè justô id obvenerit. Vel quando Locator justè infert bel-

(m) *d. Ex conducto.* §. *1. ff. Locat. ibi* = Sed si ager terræ motu ita corruerit, ut nusquam sit damno Domini esse, oportere enim præstari agrum Conductori, ut frui possit. *Et Bartol. in l. Si uno.* §. *Ubicunq; & in l. Si merces.* § *Vis major. ff. Locat.*

lum,

lum, vel etiam eidem injustè infertur. (*n*) Item si Locator nihil faciat, & tamen cùm interpellatus à Conductore potuit resistere & obviare, non restitit; tenetur ad præstandam remissionem. (*o*) Quia etsi Conductor suscepit casus fortuitos, verùm si damnum factô Locatoris contigerit & culpâ, vel cujuspiam tertii, remissionem obtinebit. (*p*)

Imò licèt Conductor se obligaverit ad pensionis solutionem, quamvis non possit uti & frui re conducta: pactum illud nullum est, cùm pugnet conductionis substantiæ; locus ergo debet esse remissioni pacto non obstante. (*q*) Similiter si Locator condictionem lo-

(n) *Ripa tract. de Rest. part. 2. n. 89. v. 2. Restricto. Bartol. in d. l. Si uno. §. Cum quidam. Alex. cons. 84. vol. 6. Rodoan. loc. cit. cap. 3. n. 5.*

(o) *Rodoan. loc. cit. n. 6.*

(p) *Marius Giurba obser. 24. n. 11.*

(q) *Menoch. cons. 27. n. 36.*

cationi

cationi apponit de non præstando aliquo impedimento. (r) Aut si Conductor aliquis in instrumento locationis promiserat non petere remissionem pensionis in casu guerræ, pestis & aliorum casuum fortuitorum specificatorum; & recipiendo in periculo casus fortuitos, demum subjecit clausulā: quòd volebat teneri de omnibus aliis quæ imaginari possint, & etiam cum juramento; tali tamen renuntiatione non obstante ipse Conductor poterit petere remissionem propter grave damnum contingens ex casu fortuito non consueto & insolito, ut propter siccitatem nimiam & insolitam. (s) Etenim licèt non procedat remissio mercedis si Conductor casibus omnibus fortuitis & insolitis renuntiet, hæc tamen renuntiatio non continet casum valde insolitum & non cogitatum, quamvis fuerit ju-

(r) *Marius Giurba loc. cit.*

(s) *Alex. cons. 140. col. 1. & 2. vol. 2. Azo De Locat. & Conduct. in Additam. sub v. Pactum.*

rata;

rata; imò si casus valde insolitus sit, non comprehenditur sub quibusvis clausulis generalibus, certiq; juris est, renuntiationē casuum fortuitorū accipiendā esse de illis, qui cōmuniter accidunt. (*t*) Utpote Conductor renuntiando casibus fortuitis, aliàs ipsos suscipiendo, non intelligitur sentire de insolitis aut rarò contingentibus: (*u*) ex ratione quòd nunquam de ipsis cogitatum fuit à Locatore & Conductore.

Quare esto Contrahens, si assumit in se casus fortuitos terminô generalî deberet in fundamento allegatæ *l. Fistulas.* §. *Frumenta.* excipere casus insolitos, quos quia non excipit, pro ex-

(t) *Marius Giurba loc. cit. n. 12.*

(u) *l. Fistulas.* §. *Frumenta. ff. De Contrahend. empt. ibi* = Frumenta, quæ in herbis erant, cùm vendidisses, dixisti te: si quid vi aut tempestate factum esset, præstaturun, & frumenta nives corruperunt, si immoderatæ fuerunt & contra consuetudinem tempestatis, agi tecum ex empto poterit.

ceptis

ceptis igitur haberi & Contrahentem liberare nequeunt. (x) Tum quòd si inferatur: quòd lex ab uno casu referat se in resolvendo ad alios in jure expressos. Sit planè ita, ergo sicut in allegata. *l. Fistulas. §. Frumenta.* specificè exprimitur casus nivis insolitæ. Ergo etiam turbinis, exundationis, ignis, sterilitatis insolitæ addi debet: quòd si non additur, sed generaliter dicitur, pro addito intelligi non debet. Cæterùm in bonæ fidei contractu, qualis est locatio, (y) magìs debet inspici æquitas, quàm nimia subtilitas & Dialectica argumentatio. (z) Sed æquitas dictat, ne Conductor solvat pensionem pro fructibus extantibus sinè sua culpa casu insolito sublatis, cùm tales fructus adhuc extantes respiciant Dominum. (a) Ergo Con-

(x) *Castilius Quotidia. Controv. lib. 3. cap. 3. n. 87. & seqq.*

(y) *§. Actionem. Institut. De Actionib.*

(z) *Bald. cons. 443. n. 1.*

(a) *Marius Giurba loc. cit. n. 13.* ducto-

ductori hoc sensu debet præstari remissio. Nihilominus si Conductor in aliqua fructuum specie damnum sentit, in aliis tamen secus; remissio non debet esse, sed de his tantum habuit, quod ascendat ultra dimidiam pensionis, quia modicum damnum Conductor æquè ferre debet. (*b*) Aut si Conductor fundum conduxit cum pacto exclusivo restaurari: tunc enim de se conqueri debet, quia volenti onus non infertur. (*c*) licèt & hoc pactum secundùm quosdam nullum esse dicitur. (*d*)

Item remissio pensionis fit Inquilino ob pestem supervenientem: (*e*)

(c) *Ludov. Parisien. decis. 50. n. 8. Marius Giurba loc. cit. n. 13.*

(b) *l. 1. §. Usq; adeò. & ibi Bartol. ff. De injur.*

(d) *Menoch. cons. 671. n. 16. ap. Marium Giurba loc. cit. n. 14.*

(e) *l. Habitatores. ff. Locat. & Abb. in c. Propter sterilitatem. de Locat.*

nisì

nisi Conductor aliter se obligâsset & voluisset teneri. Item si ob inundationem fluminis tempore æstivo mansiones inferiores non possunt habitari. (*f*) Sed si damnum inundationis non excedit medietatem non est considerabile. (*g*) Item remisſio mercedis fit Conductori domûs ob metum ex spectris, larvis, strigis, lemuribus, aliàs terriculamentis dœmonum provenientem, modò metus sit justus: etenim sicut ob metum justum Conductor emigrare, ita & remisſionem pensionis pro rata temporis petere potest. (*h*)

Item remisſio pensionis currere debet Conductoribus vectigalium ac Publicanis nomine belli aut casûs aliûs insoliti, (*i*) aut si eorum condictio frustratur ex facto Principis. (*k*)

(f) *l. ex Conducto. §. Si vis tempestatis ff. Locat.*
(g) *Tusch loc. cit. n. 24. & seqq.*
(h) *l. habitatores. §. Item ff. & ibi gl. ff. Locat.*
(i) *Vessembec. de Regalib. cons. 45. n. 51.*
(k) *Marius Giurba loc. cit. n. 11.*

Item

Item Emphyteuta liberatur à ſolutione canonis, quando res caſu fortuito perit, quando re ſua uti non poteſt, & ejus poſſeſsionem perdidit, per bellum aut incurſum hoſtium, quia tunc talis res habetur acſi non extaret; item quando fundus Emphyteuticus ab aquis ſubmergitur inſolitò. *(g)* Et demus: quòd casûs fortuiti periculum ſpectet ad Emphyteutã, *(h)* intelligendum tamen, ſi particulare damnũ contingat, etiam & notabile, puta inſignis ſterilitas; modò tota rei Emphyteuticæ ſubſtantia non depereat, *(i)* ſive Emphyteuta exiguam, ſive magnam & reſpondentem fructibus ſolvat penſionem. *(k)* Enimverò in caſibus tum fortuitis, tum improviſis, ſive belli, ſive ſterilitatis, ſive tempeſtatis,

(g) *Gratian. Diſcept. Forens. cap. 195. n. 18.*
(h) *Surd. decis. 198. n. 8. & cons. 597. n. 8.*
(i) *l. 1. C. De Jur. Emphytent.*
(k) *text. in Authent. de non alienan. reb. Eccl. coll. 2. tit. 1. cap. 3. §. Quia verò Leonis.*

ſive peſtis &c. omnes circumſtantias eſſe diligenter conſiderandas ad percipiendam obligationem remittendi mercedem ex parte Locatoris, vel jus remiſsionem prætermittendi ex parte Conductoris. (*l*)

Quia culpa ubi caſum præcedit, tunc obligatur contrahens, qui priùs non tenebatur ex priori culpa, v.g. fluminis inundatio, quæ pendentes fructus corruperat Conductorem excuſat à culpa: culpæ tandem arguit, ſi poſt receſſum aquæ non curavit ſeminari prædia, quemadmodũ vicini fecêre.(*m*)

Et ratio eſt: quia non reputatur caſus fortuitus, quando præceſsit culpa; & præſumitur, quòd ſi ſeminâſſet, non eveniſſet caſus ſterilitatis, ſed fructus percepiſſet, perinde acſi fundus non fuiſſet inundatus.

(l) *Anton. Thom. Schiara Theologiæ bellica lib. 7. pag. 168. n. 23.*

(m) *l. In rebus. §. 1. ff. Commodat. l. penult. in princ. ff. Solut. Matrim. & l. Cùm proponas. C. De Nautic. fœnor.*

Sicut dicitur contra morosū: quòd præsumitur contra eum rem non fuisse perituram, si non intervenisset mora. Et quando Conductor deficit in cultura, non debet petere remisionem: sed tenetur diligenter colere ac curare, ut operæ rusticæ sub tēpore debito fiant, aliàs pensio non remittitur. (*n*)

Quare in remisione mercedis Judex considerare debet, an fundus fuerit benè cultus? (*o*) Sicuti exemplum potest haberi in magna pluvia, cujus damno occurri potuit sulcos faciendo. (*p*) Et cùm vicini alii omnes diligentes Coloni iteratò terras seminaverint, non caret culpâ, qui exemplô eorū non seminat: (*q*) est enim culpa non facere, quod alii faciunt & facere consueverunt. (*r*)

(n) *gl. inl. Si uno. §. Cum quidam. ff. Locat. v. Remissio dicit.*

(o) *Bossius de Remiss. mer. cond. n. 79. & 81.*

(p) *Roland. cons. 86. in fin. col. 3.*

(q) *Surd. decis. 87. n. 1. & seqq.*

(r) *Barbos. cons. 463. col. vol. 3.*

Corollarium 4tum.

STerilitatem anni alicujus Conductor compensare sibi potest, & defactò compensat ubertate anni præcedentis vel subsequentis, etsi Annus sit alius quàm proximè præcedens, modò sit annus ejusdem locationis; (a) quia eadem est ratio & per consequens idem jus debet statui. Itaq; Annus, qui supplet vicem alterius præcedens est suppletivus, sequens est suspensivus, donec venerit, & tunc dum venerit supplebit: vel si Dominus supplet, ex post sequitur Annus fertilitatis. Et hoc verum est, modò Annus tam præcedens quam subsequens comprehendantur sub eodem contractu & sub una locatione. (b) Est autem Annus suppletivus

(a) *Hostiensis in Summa.* §. *Quæ ad Actiones. De Locat.*

(b) *l. Item quæritur.* §. *Qui impleto. ff. Locat. Marius Giurba obser. 24. n. 20. Gail. lib. 2. obser. 22. n. 13. Rodoan. de reb. Eccl. non alien. q. 73. cap. 2. n. 5.*

tivus sterilitatis ille, quando aliquid percipitur ultra pensionem, puta pensio est 20. percipitur 30. omne illud, quod ultra percipitur compensatur cum sterilitate Anni præcedentis.

Ubertas verò est illa, quando ultra consu etũ non modicũ sed multũ percipitur, relinquendo tamen id Judicis arbitrio & vulgi opinioni. Unde ubi videbitur Judici, quod non multum sit perceptum, illud erit lucro Conductoris, & non dicetur Annus uber sed lucrosus, & sic non dicetur ubertas suppletiva sterilitatis. (c) Nam etsi Annus erit revera uber, dicetur tamen damnosus & sterilis: v.g. si sint expensæ magnæ, si quis arendans Piscariam ingentem copiam piscium legat ex lacubus & stagnis, nihilominus si hoc fiat Annô pestilentiæ & belli, dum homines ad laborandum conquiri nequeunt, qui retia laxent. Aut si quis

(c) *Rodoan. loc. cit. cap. 2, n. 6.*

accipiens

accipiens in aspaltum bona, fructus opimos illi terra ediderit, homines tamen laboribus dediti malô epidemiæ, tum omnia pecora aliquo casu sublata sunt, tunc temporis dicitur Annus damnosus. (*d*)

Quare si quis fundum per plures Annos conduxit, & uno anno nihil ex re conducta percepit, & remissionem petit, tunc faciendam esse cumulationem aliorum Annorum, qui fuerunt uberes. Ratio est: quia unica est locatio, licèt per plures Annos fuerit divisa. (*e*) Sed si Conductori fiat remissio ex pacto, tunc non attenditur ubertas præcedentium & sequentium Annorum. (*f*) Nec attenditur, si damnum est ultra dimidiam pensionis, sed sufficit, quòd non sit modicũ. (*g*)

(d) *Card. de Luca de Regalib. discur. 134. n. 18. & 21.*

(e) *Marius Giurba obser. 24. n. 8.*

(f) *Surd. cons. 34. n. 30.*

(g) *Marius Giurba loc. cit. n. 15. Surd. loc. cit. n. 31.*

Verùm

Verùm si Conductor non tantùm lucratus fuisset, quantum si totas & singulas partes rei conductæ colere potuisset? non esse locum remissioni, quia Jura, quæ de remissione loquuntur, propter sterilitatē vel aliud impedimentum loquuntur. Si ergo Conductor non lucratur, ùt erat solitum, & ob id petit remissionem respectu lucri, non est attendendus: quia lex non disponit pati remissionem nisì de damno, habito respectu ad pensionē, quod à lucro longè differt. (*h*)

Nec remissio fit, si Conductor non percepit tot fructus ascendentes ad dimidiam pensionis, quot percipere erat solitus, fructus tamen adeo facti sunt cariores, ùt illîs venditîs integra pensio solvi posset. Ex tenui namquè fructuum perceptione non patitur Conductor magnum & intolerabile damnum, quod lex exposcit, ut

(h) *Parisien. cons. 38. n. 1. Marius Giurba loc. cit.*

remis-

remiſsioni ſit locus: (*i*) quia cauſa finalis penſionis ſumitur ex univerſo non ex aliqua particulari perceptione, qua ceſſante vel diminuta, ceſſare quoq; aut minui debet penſionis præſtatio. Etenim penſionem promittit Conductor pro omnibus fructibus integraliter, cùm totius Anni unus ſit fructus. (*k*)

Nec etiam in illis caſibus, in quibus fit, poteſt remiſsio mercedis fieri, quando non eſt facta notificatio tempeſtatis receptæ aut aliûs casûs fortuiti: (*l*) ſecus ſi Locator obtulit ſe paratum ſuo periculo recipere fructus, & tunc penſionem non remittet, ſi Conductor oblationem recuſavit. (*m*)

(i) *l. Si uno. §. Cùm quidam. l. Ex conducto. §. Sed etſi labes. l. Si Merces. §. Vis major. ff. Locat.*

(k) *Marius Giurba loc. cit. n. 17.*

(l) *l. Item quæritur. §. Exercitu. ff. Locat. Menoch. de Arbitr. cons. 137. n. 19.*

(m) *Roland. cons. 86. n. 9. Marius Giurba loc. cit. n. 18.*

Nec

Nec etiam debet remisio fieri, si præcessit ubertas & secuta sit sterilitas, tunc enim sterilitas cum ubertate debet compensari: (*n*) ideo Conductor ad utriusq; Anni pensionem tenetur, licèt remisio jam facta fuerit Anni sterilis; (*o*) quia ubertate alicujus vel aliquorum præcedentium Annorum, sivè illi mediati sivè immediati Anni sterilitatis sint, tota sterilitas compensatur, & nihil de pensione est remittendum. Si verò solùm compensatur pars, reliqua solùm pars proportionalis est remittenda. (*p*)

Sicut etiam pro ratha temporis, quô Conductor ex causa reparationis domûs non habitat, debet fieri remisio, sed tandem post factam meliorationẽ domûs debet augere pensionem, nisi aliter in contractu sit expressum. (*q*)

(n) *Marius Giurba loc. cit. n. 19.*

(o) *l. Si uno. ff. Locat. Molin. disp. 496. n. 16.* (p) *Marius Giurba loc. cit.*

(q) *Tuldenus lib. 3. Instit. De Locat. & cond. tit. 25. cap. 10.*

Similiter

Similiter si magna sterilitas contingat, facienda est remissio pensionis pro ratha: secus si sterilitas modica interveniat. Quod quidem verum est, si quando non potest præsens sterilitas compensari ubertate præcedentium Annorum vel subsequentium. Si enim præcedentes Anni compensant, non tenetur Locator quidquam remittere: si sequentes idem præstent, tunc poterit Locator repetere id, quod remisit Annîs præcedentibûs. Quando autem modica est sterilitas, nihil est remitttendum. (*r*)

Sed si Locator ex facto suo dedisset causam, quod Conductor non posset frui re locata, si factum est voluntarium, tenetur ad totum illud, quod Conductor percepisset. Secus si esset necessarium, vel tale quod fieri debuit de jure (*s*)

(r) *l. Si uno. §. 1. ff. Locat. Filiuc. tract. 36. de Contract. Oner. cap. 3. n. 50.*

(s) *Tusch. Concl. pract. concl. 616. sub lit. C.*

Corol-

Corollarium 5tum.

SIcut ex ſterilitate penſio remitti debet, ita contra augeri & major peti poteſt ſi magna fructuum ubertas eveniat: quia ſicut caſus inſolitus non cenſetur præjudicare Conductori, ut non poſsit petere remiſsionem, quaſi de illo non cenſeatur cogitatum; ita è contra caſus inopinatus non præjudicat Locatori, ut non valeat petere augmentum penſionis; cùm par ratio debeat eſſe lucri & damni. (*a*)

Quemadmodum enim eſt de natura contractûs, ut propter ſterilitatem & alios caſus ſimiles fiat remiſsio mercedis: (*b*) ita etiam magna & inſolita ubertas eveniens caſu fortuito non per diligentiam Coloni debet operari augmentum penſionis ad favorem Locatoris

(a) *Sebaſt. Medices de caſib. fort. q. 10. n. 36. tom. 7. fol. 220.*

(b) *l. Ex conducto. §. 1. ff. Locat. c. Proter ſterilitatem. De Locat. & Cond.*

catoris; ut contrariorum eadem sit disciplina, & æqualitas servetur inter Contrahentes. (c) Ubi enim est eadem ratio, est idem jus; & casus quos nectit paritas æquitatis & identitas nominis, non sunt quò ad juris ratio nem separandi. (d) Unde istud insolitum ab inopinato casu proveniens, tanquam à Contrahentibus non prævisum, debet esse exceptum. (e) Et quamvis certum sit: pensionem ab initio contractûs constitutam manere debere, cùm ex ubertate aliorum Annorum debeat sterilium compensatio fieri; (f) excipiendus est tamen casus: si Colonus in Anno fertili tot fructus collegit, ut deductîs impen-

(c) *Gratian loc. cit. & AA. ab eo relati.*

(d) *Urceol. in Centur. decis. sacr. Rot. decis. 68. n. 2.*

(e) *Jason. in l. 1. n. 79. col. 15. in fin. v. istam licèt communem Conclusionem. C. de Jur. Empt.*

(f) *text. l. Si merces. §. Vis major. ff. Locat. ibi* = modicum damnum &c.

sîs sufficiant pro solutione pensionis duorum Annorum fertilis & sterilis.

Item ut ubertas eveniat ex casu fortuito extraordinario & priùs à Contrahentibus non præviso: exempli gratiâ si molendinum conductum acquirat magnos reditus, quia ex inundantia aquarum omnia reliqua molendina in vicinia destructa impetu aquoso sunt, cùm de hoc casu non fuerit cogitatum per Locatorem, tanquam inopinato. Nam ordinaria pensio propter contractum bonæ fidei intelligitur statuta, rebûs sic stantibûs, non tamen in casu notabilis mutationis supervenientis.(g)

Similiter si domus fuerit optimè reparata, Conductor debet augere pensionem Locatori, nisì aliter sit conventum in contractu. (h)

(g) *Sebast Medic. loc. cit. Ludov. Engel. lib. 3. tit. 18. De Locat & conduct. q. 2. n. 6.*
(h) *Tulden. lib. 3. Instit. De locat. & Cond. tit. 25. cap. 10.*

Ubertas

Ubertas autem ſicut & ſteri alluvio debet eſſe patens, ſecu latens: quia alluvio patens aug mino & Locatori, latens verò Co ductori. (*i*) Non augetur verò penſio, quando ubertas provenit ex induſtria Conductoris. (*k*)

(i) *l. Si fundus. ff. Locat.*
(k) *Tuſch Concl. pract. concl. 614. n. 1. & ſeqq. ſub lit.* C.

Hinc
DEO Ter Optimo Maximo
Cujus eſt ſcire præterita & de futuris æſtimare, ſcire verſutias ſermonum & diſſolutiones argumentorum, ſcire ſigna & monſtra antequam fiant, & eventus temporum & ſæculorum,
Sapient. 8. ℣. 8.
Honor & Gloria.